2.2

De mortuorum iudicio

scripsit

Ludovicus Ruhl

GISSAE
IMPENSIS I. RICKERI
[ALFREDI TOEPELMANNI]
MCMIII.

BL
25
R38
V,2,2

QC
R279
v,2:2

RELIGIONSGESCHICHTLICHE VERSUCHE UND VORARBEITEN

herausgegeben

von

Albrecht Dieterich in Heidelberg und Richard Wünsch in Gießen

II. Band 2. Heft

ALBRECHTO DIETERICH

S

CAPVT PRIMVM

Animam humanam morte non perire, immo servari, ut aut vitae pie sancteque peractae praemiis ornaretur aut vitiorum suppliciis vexaretur, apud eas antiquitatis gentes, quae quidem superiore usae sunt cultu atque humanitate — Persas Aegyptios Iudaeos Graecos dico — posterioribus certe temporibus esse creditum inter rerum sacrarum peritos constat. Deus enim aliquis, aut iudices ab eo iudicandi munere ornati mortuos ante tribunal citant et, apud superos quae quisque gesserit, cogunt fateri. Tamen illas opiniones rudes atque incultas antiquissima Graecorum aetate fuisse et postea tantum paulatim ita evaluisse, ut ad imaginem talem depingendam possent componi, cum Carolus Lehrs [1]) tum Ervinus Rohde [2]) nos docuerunt, cum Homeri temporibus nondum viguisse eas puniendi aut praemia tribuendi rationes exponerent, quas inde a Platonis memoria invenimus quasi adultas. Atque ut paucis explicem, quae mihi his schedulis inquirenda proposuerim: id acturus sum, ut, quae exstant ultimi iudicii apud veteres testimonia quam diligentissime colligam certoque ordine disponam, ita ut, quomodo illas opiniones sibi finxerint diversis temporibus cognoscamus sive theologi, sive philosophi, sive poetae; nam utrum ab omnibus fuerint receptae hominibus necne, disputant adhuc viri doctissimi,[3]) neque facile

[1]) Populäre Aufsätze [2] p. 303 sqq. [2]) Psyche I[2] p. 308 sqq.
[3]) Psyche I [2] p. 309 adnot. 2.

erit diiudicatu, cum de eiusmodi sententiarum diffusione nusquam edoceamur. Ac Graeci quidem et omnes fere colores et totam nobis praebent materiam, Romani autem imitando magis quam ex ipsis hauriendo agunt, dum illorum imagines conantur reddere, quamquam ne eis quidem omnino deesse proprias cognitiones videbimus.

I

Iam ad rem ipsam aggrediamur et temporum ordinem servemus, dum primum Odysseae carmen XI. testem audimus. Legimus enim v. 567 sqq.:

Ἔνθ' ἦτοι Μίνωα ἴδον, Διὸς ἀγλαὸν υἱόν,
χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν,
ἥμενον, οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα
ἥμενοι ἑσταότες τε, κατ' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Sed caveamus, ne Minoem apud inferos de rebus ab hominibus supra terram gestis iudicare putemus, nam verba illa *θεμιστεύοντα νέκυσσιν* ad regem spectant, qui quod apud superos iudicandi est functus munere, inter mortuos quoque insigne illud officium retinuit.[1]) De ultimo quod dicunt iudicio nihil comperimus neque hoc loco neque apud eos posteriorum, qui Homero auctore *τὸν Μίνων* nominaverunt *ἐν Ἅιδου δικάζοντα*: Platonis qui fertur Minoem p. 319D dico et Oenomai frg. 1 (Frg. philos. Graec. ed. Mullach II, p. 361). Sceptrum vero aureum ex Homeri versu deprompsisse qui postea aut pingendo aut enarrando inferorum tribunal sibi finxerunt atque Minoi attribuisse tunc re vera vitae supra terram peractae iudici hic iam mihi liceat commemorare.

II

Sed ex Pindari carmine olympico II, 56 sqq. Theroni Agrigentinorum tyranno dedicato sub terra esse iudicem audimus, cui rationem dent peccatorum homines necesse est:

ἀστὴρ ἀρίζηλος, ἐτυμώτατον
ἀνδρὶ φέγγος, εἰ δέ νιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον·

[1]) Vide B. Constant, De la religion IV p. 388. P. v. Limbourg-Brouwer, Histoire de la civilisation morale et religieuse des Grecs VI p. 152 sq. L. Schmidt, Ethik d. a. Griechen I p. 97—99 et 101.

ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' [1]) *αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες*
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρὰ
λόγον φράσαισ' Ἀνάγκα. [2])

[1]) Adnotavit ad hunc locum E. Rohde (l. s. II² p. 208, adnot. 3): 'Hier ist nur von Gericht und Vergeltung im Hades die Rede. In den Worten *θανόντων . . . . ἔτισαν* kann das *ἐνθάδε* unmöglich, mit Aristarch, zu *ποινὰς ἔτισαν* gezogen werden, so daß von der Bestrafung der in der Unterwelt begangenen Freveltaten (an sich einer seltsamen Sache) bei neuer Wiedergeburt auf der Erde die Rede wäre. *θανόντες* kurzweg kann doch nicht bezeichnen die *θανόντες καὶ ἀναβεβιωκότες*, man kann nur die nach einem Lebenslauf auf der Erde Verstorbenen und nun in der Unterwelt Verweilenden darunter verstehen'. Quae deinde subtilissime explanavit praeter alia de Rauchensteinii coniectura *αὖθις* omittamus, et ipsius Pindari verba adeamus v. 68 sqq.:

ὅσοι δ' ἐτόλμασαν ἐς τρὶς
ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν
ψυχάν, ἔτειλαν Διὸς ὁδὸν . . . . . .

Haec Rohdii sententiam impugnant, nam omnino fieri non potest, quin *ἑκατέρωθι* in hoc verborum contextu significet: et supra terram et sub terra, ut nulla iam difficultate impediamur (nam et *θανόντες* de eis mortuis posse dici, quorum animae redeant in terram, nemo negabit nisi qui nimis acute versum studet explicare), ne et supra terram et sub terra animas in se scelera admittere ideoque puniri utrobique statuamus, quamvis obscurae sint nobis theologorum illorum opiniones. At non iam obscurae sunt: vide quae dixerit A. Dieterich, Nekyia p. 111/112: 'Daß das Vergehen drunten nichts anderes ist, als die durch falsche Lockungen und sinnliche Vorspiegelungen verschuldete falsche Wahl eines neuen Lebensloses, ist . . . . durch den Vergleich platonischer Stellen erkannt worden'. Rem publicam dicit p. 617D a Luebberto explanatam, Ind. lect. Bonn. 1887/88 p. XIX sq. Vide etiam Dieterichium, l. s. p. 115. Neque ad suam sententiam me adduxit Ernestus Maass, Orpheus p. 271 sq.

[2]) *Ἀνάγκα* pro *ἀνάγκᾳ* Ernestus Maass, l. s. p. 272; vide Eduardum Norden, Vergil Buch VI p. 37 adnot. 1. — Alii de aliis iudicibus cogitaverant: B. Constant l. s. p. 388 de Saturno, cuius nomen traxit ex versu 76; L. Schmidt l. s. p. 101 et Schneidewinus in editionis ab ipso curatae commentario p. 41 de deo quodam consulto non nominato, Dieterichius l. s. p. 111, 119 et 126 adnot. 1. de Rhadamantho. Sed hunc non esse *δικάζοντα* illum intellegitur inde, quod in campis Elysiis (ut Odyss. IV, 564) habitat, ubi iusti tantum inveniuntur, de quibus omnino supervacaneum est iudicare, id quod iam E. Rohde (I², 310, 1) ostendit. Neque fieri potest, ut poeta, si v. 59 *δικάζει τις* nomine omisso exhibeat, post paucos versus, ubi de Elysiis agit campis, Rhadamanthum illum iudicem esse velit. Verbum autem *πάρεδρος* (v. 76) non iudiciarium tantum assessorem, sed eum quoque

Neminem, qui hoc carmen perlegerit, effugiet longe alienas ab Homero inesse ei opiniones de praemiis et poenis post mortem attribuendis defunctorum animis, quae ipsae quoque nova atque inaudita natura sunt praeditae. Eorum enim doctrinam, qui ab aliis post vitam ad alia corpora transire animas contendebant, secutus est Pindarus ita, ut, quae vitiis maculatae essent, eas apud inferos gravissimum iudicium subire exponeret, deinde autem redire in terram, ubi propter delicta apud inferos admissa punirentur, dum illae, quae ter utrobique sancte casteque vivere potuissent, ad beatorum pervenirent insulas ibique in pratis purpureis felicissimae versarentur et clarissimorum uterentur heroum consuetudine.

Atque iudicis fungitur munere Ἀνάγκα dea, quae quanta auctoritate fuerit Maassius l. s. et Dieterichius, Mithras-Liturgie p. 59 fusius exposuerunt.

Sed quomodo fiat illud iudicium, minime edocemur. Tantum abest ut singula perspiciamus, ut hoc tantum pro certo affirmare possimus, si locum modo propositum perlegerimus, valere dirae Necessitatis sententias ad animarum quam dicunt transitionem ita, ut et peractae vitae poscantur rationes atque imponantur leges instituendae novae. Priusquam autem unde transtulerit eas opiniones Pindarus coniciamus, ad Platonem convertamus.

III

Plato, qui multo planius egit de mortuorum tribunali et fundamenta ut ita dicam iecit, quibus posteriores possent aedificium imponere, de iudicio cum metempsychosi coniuncto

---

significat, qui propter honorem deo vicinam nactus est sedem (locos vide a Rohdio l. s. collectos). Ceterum de vocis iudicandi significatione non iam opus erit ambigere, cum Rhadamanthum alio quodam sensu iudicem appellare nobis liceat, quod invenisse videtur Schneidewinus (l. s. p. 45): „Pindarus Elysii heroas quasi praeclaros certatores, qui omnes ἄθλους cum laude peregerint, caput manusque coronis ornare dicit de sententia Rhadamanthi. Regnum tenens Saturnus etiam iudicium exercet more regum, assessore tamen Rhadamantho, . . hic igitur quasi summus heroum Ἑλλανοδίκας.“ Ut breviter comprehendam: Saturnus (et Rhea) et Rhadamanthus in Elysiis campis beatorum thiaso sunt praefecti neque eos aut unum ex eis de hominum vitiis ferre sententias concludere licet.

protulit sententias Pindari verbis adeo similes, ut ex communi fonte utrumque hausisse necesse sit statuamus. Quod ut clarius appareat, iam colligamus, quae ex dialogis a Platone conscriptis ad imaginem componendam conferre nobis licebit. Veniunt autem in censum Phaedrus, Gorgias, Phaedon, de Re publica libri.

Phaedri p. 249 A:

αἱ δὲ ἄλλαι (scil. *ψυχαί*. Philosophorum enim et *παιδεραστησάντων μετὰ φιλοσοφίας* animae alia transeundi ratione utuntur), *ὅταν τὸν πρῶτον βίον τελευτήσωσι, κρίσεως ἔτυχον, κριθεῖσαι δὲ αἱ μὲν εἰς τὰ ὑπὸ γῆς δικαιωτήρια ἐλθοῦσαι δίκην ἐκτίνουσιν, αἱ δ' εἰς τοὐρανοῦ τινα τόπον ὑπὸ τῆς δίκης κουφισθεῖσαι διάγουσιν ἀξίως οὗ ἐν ἀνθρώπου εἴδει ἐβίωσαν βίου.* ... p. 249 B: *τῷ δὲ χιλιοστῷ* (scil. *ἐνιαυτῷ*) *ἀμφότεραι ἀφικνούμεναι ἐπὶ κλήρωσίν τε καὶ αἵρεσιν τοῦ δευτέρου βίου αἱροῦνται ὃν ἂν θέλῃ ἑκάστη.*

Post primam igitur vitam fit iudicium, quo facto aliae animae sub terram *εἰς τὰ δικαιωτήρια*, aliae in caeli quendam locum agantur; utrobique manent, usque mille annis consumptis novum vivendi modum eis liceat sortiri. Atque hoc iudicium unum esse videtur, nam de secundo post vitam secundam aut tertio post tertiam exercito nusquam edocemur. Neque qui sint iudices in Phaedro Plato dicit.

Quos ut cognoscamus, ad Gorgiae locum inde a p. 523 C obvium transeamus, ubi primam quasi perfectam nobis depinxit auctor imaginem. Socrates enim, quomodo factum sit, ut institueretur iudicium apud inferos, nobis enarrat, non *μῦθον*, sed *λόγον* secutus, ut ait ipse (p. 523 A): *ὡς ἀληθῆ γὰρ ὄντα σοι λέξω ἃ μέλλω λέγειν.* Iam Saturno regnante homines pios post mortem ad Elysias insulas esse missos, ut ibi beati aevo sempiterno fruerentur, impios autem ad Tartarum supplicia subituros facinorum. Sed cum hi ultimo vitae die iudicarentur a vivis hominibus, saepissime iniuria aut damnati sunt aut absoluti ab iudicibus, qui forma genere divitiis testibus corruptis adducti sunt, ut falsam ferrent sententiam. Qua de re questus est Pluto et petivit a Iove, qui post Saturnum regno potitus erat, ne diutius illa fieri pateretur. *Εἶπεν οὖν ὁ Ζεύς·* (p. 523 C) *ἀλλ' ἐγὼ ... παύσω τοῦτο γιγνόμενον. νῦν μὲν γὰρ κακῶς αἱ δίκαι δικάζονται. ἀμπεχόμενοι γάρ, ἔφη, οἱ κρινόμενοι κρί-*

νονται, ... πολλοὶ οὖν ... ψυχὰς πονηρὰς ἔχοντες ἡμφιεσμένοι εἰσὶ σώματά τε καλὰ καὶ γένη καὶ πλούτους, καὶ ἐπειδὰν ἡ κρίσις ᾖ, ἔρχονται αὐτοῖς πολλοὶ μάρτυρες μαρτυρήσοντες, ὡς δικαίως βεβιώκασιν. οἱ οὖν δικασταὶ ὑπό τε τούτων ἐκπλήττονται καὶ ἅμα καὶ αὐτοὶ ἀμπεχόμενοι δικάζουσι, ... πρῶτον μὲν οὖν, ἔφη, παυστέον ἐστὶ προειδότας αὐτοὺς τὸν θάνατον· νῦν γὰρ προΐσασι, ... ἔπειτα γυμνοὺς κριτέον ἁπάντων τούτων. τεθνεῶτας γὰρ δεῖ κρίνεσθαι. καὶ τὸν κριτὴν δεῖ γυμνὸν εἶναι, τεθνεῶτα, αὐτῇ τῇ ψυχῇ αὐτὴν τὴν ψυχὴν θεωροῦντα ἐξαίφνης ἀποθανόντος ἑκάστου, ἔρημον πάντων τῶν συγγενῶν καὶ καταλιπόντα ἐπὶ τῆς γῆς πάντα ἐκεῖνον τὸν κόσμον, ἵνα δικαία ἡ κρίσις ᾖ. ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτα ἐγνωκὼς πρότερος ἢ ὑμεῖς ἐποιησάμην δικαστὰς υἱεῖς ἐμαυτοῦ, δύο μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας, Μίνω τε καὶ Ῥαδάμανθυν, ἕνα δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης, Αἰακόν. οὗτοι οὖν ἐπειδάν τελευτήσωσι, δικάσουσιν ἐν τῷ λειμῶνι, ἐν τῇ τριόδῳ, ἐξ ἧς φέρετον τὼ ὁδώ, ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ' εἰς τάρταρον. καὶ τοὺς μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας Ῥαδάμανθυς κρινεῖ, τοὺς δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης Αἰακός. Μίνῳ δὲ πρεσβεῖα δώσω ἐπιδιακρίνειν, ἐὰν ἀπορῇτόν τι τὼ ἑτέρω,[1] *ἵνα ὡς δικαιοτάτη ἡ κρίσις ᾖ περὶ τῆς πορείας τοῖς ἀνθρώποις.*

Postquam ea vera esse se credere iterum confirmavit Socrates, *τὸν λόγον* ipse interpretaturus pergit deinde sic (p. 524 D): *ἔνδηλα πάντα ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ, ἐπειδὰν γυμνωθῇ τοῦ σώματος, τά τε τῆς φύσεως καὶ τὰ παθήματα, ἃ διὰ τὴν ἐπιτήδευσιν ἑκάστου πράγματος ἔσχεν ἐν τῇ ψυχῇ ὁ ἄνθρωπος. ἐπειδὰν οὖν ἀφίκωνται παρὰ τὸν δικαστήν, οἱ μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας παρὰ τὸν Ῥαδάμανθυν, ὁ Ῥαδάμανθυς ἐκείνους ἐπιστήσας θεᾶται ἑκάστου τὴν ψυχήν, οὐκ εἰδὼς ὅτου ἐστίν, ἀλλὰ πολλάκις τοῦ μεγάλου βασιλέως ἐπιλαβόμενος ἢ ἄλλου ὁτουοῦν βασιλέως ἢ δυνάστου κατεῖδεν οὐδὲν ὑγιὲς ὂν τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ διαμεμαστιγωμένην καὶ οὐλῶν μεστὴν ὑπὸ ἐπιορκιῶν καὶ ἀδικίας ἃ ἑκάστη ἡ πρᾶξις αὐτοῦ ἐξωμόρξατο εἰς τὴν ψυχήν, καὶ πάντα σκολιὰ ὑπὸ ψεύδους ..... ἰδὼν δὲ ἀτίμως ταύτην ἀπέπεμψεν εὐθὺ τῆς φρουρᾶς, οἷ μέλλει ἐλθοῦσα ἀνατλῆναι τὰ προσήκοντα πάθη .....*

(526 B) *ἐπειδὰν ὁ Ῥαδάμανθυς ἐκεῖνος τοιοῦτόν τινα λάβῃ, ἄλλο μὲν περὶ αὐτοῦ οὐκ οἶδεν οὐδέν, οὔθ' ὅστις οὔθ' ὧντινων, ὅτι*

[1]) Mirum, quod vel e Schanzii editione novissima nondum evanuit signum interrogandi post *ἑτέρω* positum, nam sensu plane cassum est.

δὲ πονηρός τις· καὶ τοῦτο κατιδὼν ἀπέπεμψεν εἰς τάρταρον, ἐπισημηνάμενος, ἐάν τε ἰάσιμος ἐάν τε ἀνίατος δοκῇ εἶναι. ὁ δὲ ἐκεῖσε ἀφικόμενος τὰ προσήκοντα πάσχει. ἐνίοτε δ' ἄλλην εἰσιδὼν ὁσίως βεβιωκυῖαν καὶ μετ' ἀληθείας, ἀνδρὸς ἰδιώτου ἢ ἄλλου τινός, μάλιστα μὲν . . . φιλοσόφου τὰ αὑτοῦ πράξαντος καὶ οὐ πολυπραγμονήσαντος ἐν τῷ βίῳ, ἠγάσθη τε καὶ ἐς μακάρων νήσους ἀπέπεμψε. ταὐτὰ ταῦτα καὶ ὁ Αἰακός. ἑκάτερος δὲ τούτων ῥάβδον ἔχων δικάζει· ὁ δὲ Μίνως ἐπισκοπῶν κάθηται, μόνος ἔχων χρυσοῦν σκῆπτρον, ὥς φησιν Ὀδυσσεὺς ὁ Ὁμήρου ἰδεῖν αὐτὸν 'χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα' . .

Quae deinde in Phaedone leguntur, non tam iudicium ipsum commemorant quam ea, quae sequuntur, poenas et metempsychosin:

p. 107 D: *λέγεται δὲ οὕτως, ὡς ἄρα τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει, οὗτος ἄγειν ἐπιχειρεῖ εἰς δή τινα τόπον, οἷ δεῖ τοὺς συλλεγέντας διαδικασαμένους εἰς Ἅιδου πορεύεσθαι μετὰ ἡγεμόνος ἐκείνου. . .*

p. 113 D: *ἐπειδὰν ἀφίκωνται οἱ τετελευτηκότες εἰς τὸν τόπον, οἷ ὁ δαίμων ἕκαστον κομίζει, πρῶτον μὲν διεδικάσαντο οἵ τε καλῶς καὶ ὁσίως βιώσαντες καὶ οἱ μή.* Describuntur in sequentibus diversa vitiorum genera et suppliciorum et praemiorum.

Restat, ut Armenii illius filii, cui nomen est *Ἤρ*, proferamus narrationem. De Re publ. p. 614 B sqq.:

ἔφη δέ, ἐπειδὴ οὖ ἐκβῆναι τὴν ψυχήν, πορεύεσθαι μετὰ πολλῶν καὶ ἀφικνεῖσθαι εἰς τόπον τινὰ δαιμόνιον, ἐν ᾧ τῆς τε γῆς δύ' εἶναι χάσματα ἐχομένω ἀλλήλοιν καὶ τοῦ οὐρανοῦ αὖ ἐν τῷ ἄνω ἄλλα καταντικρύ· δικαστὰς δὲ μεταξὺ τούτων καθῆσθαι, οὕς, ἐπειδὴ διαδικάσειαν, τοὺς μὲν δικαίους κελεύειν πορεύεσθαι τὴν εἰς δεξιάν τε καὶ ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ, σημεῖα περιάψαντας τῶν δεδικασμένων ἐν τῷ πρόσθεν, τοὺς δὲ ἀδίκους τὴν εἰς ἀριστεράν τε καὶ κάτω, ἔχοντας καὶ τούτους ἐν τῷ ὄπισθεν σημεῖα πάντων ὧν ἔπραξαν.

Quibus allatis iam accuratius inquiramus in hanc materiem a Platone nobis traditam. Ac primum quidem disputemus de iudicibus Aeaco Minoe Rhadamantho in Gorgia nominatis, quibus in Apologia (p. 41 A) Triptolemus *καὶ ἄλλοι ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο ἐν τῷ ἑαυτῶν βίῳ* adduntur

a Socrate. Quanam de causa tres illi heroes clarissimi iudicandi munere ornati sint ex his quidem Platonis dialogis non comperimus, sed ex aliis eam locis possumus statuere, ubi iustissimi omnium viri praedicantur, quibus apud inferos quoque propter integritatem iudicia permissa esse putabant antiqui:[1]) Plat. Legg. p. 624 B, 948 B; Demosth. de cor. § 127; Cratin. *Χείρωνες* frg. 11 (Meineke); Diod. bibl. IV 61, V 79; Plut. Thes. 16 extr., de sera num. vind. p. 550 B; Arist. rhet. XLVI p. 244 (ed. Dind.). Sed cur Triptolemus hoc uno Apologiae loco commemoretur, quaerendum est. Rohdius enim ab Atticis eum esse iudicem receptum pro certo affirmat, quia Athenienses, licet Plato Triptolemum iuxta Minoem posuisset, regem Cretae ipsis odiosissimum (vide Plat. qui fertur Min. p. 318 D; Plut. Thes. 16; Hygin. fab. XXXXI; Strab. X 4, 8) repudiavisse atque Triptolemum ei praetulisse viderentur. Quod ut demonstret, vasculorum adhibet exempla.[2]) Dicit enim Rohdius, ut ipsius utar verbis[3]): 'so findet sich denn Triptolemus nicht neben Minos, sondern an dessen Stelle auf dem Unterweltsbild der Vase von Altamura (Tr., Aeac., Rh.) und auf einem analogen Bild einer Amphora zu Karlsruhe (Aeac. Tript.; links abgebrochen wohl Rhad. nicht Minos).' Qua sententia me-

[1]) Vide etiam Rohdium l. s. I² 310, 1. — De tribus mortuorum iudicibus dicit Dielsius, Sibyll. Blätter p. 40 adnot.: 'Die Geltung der Dreizahl im Totenkult gehört zu den bekannten Dingen', quod ut demonstret Aeac. Min. Rhad. quoque affert. Similia invenies apud Usenerum, Dreiheit, Mus. Rhen. LVIII p. 7. — Apud Aegyptios item tres sunt summi mortuorum arbitri, Osiris Thoth Horus, inter quos ministeria quaerendi notandi damnandi sunt distributa; de his adeas Wiedemannum, Die Religion der alten Ägypter p. 131. Similiter a Mazdaeis Mithra Sraoša Raŝnu iudices inferni nominantur apud N. Söderblom, La vie future d'après le mazdéisme p. 96. Vide etiam Spiesium, Entwickelungsgeschichte der Vorstellungen nach dem Tode p. 185: qui auctor si alio loco (p. 288) exhibet haec: „Minos und Rhadamanthus richten, denn es ist eine Forderung des menschlichen Gefühls, vor ein Pairsgericht gestellt zu werden und Urteil und Gericht von einem zu empfangen, der unser Fleisch und Blut getragen hat" nescio an ex Christianorum doctrina (nam ipse citat ep. ad Ebraeos missam 4, 15) haec transtulerit ad Graecos.

[2]) De quibus planius egit A. Winkler in Commentationum philologorum Vratislav. vol. III, 5.

[3]) l. s. I² 311, 1.

liorem non habeo quam proferam. Itaque vasa illa, in Magna Graecia quae vocatur reperta, esse fabricata aut in ipsa Attica aut in Italiae parte inferiore, quae repleta erat post conditos Thurios Atticorum moribus atque opinionibus conclusere huiusmodi picturarum periti.[1]) Neque contra pugnat, quod F. G. Welcker adnotavit[2]), Triptolemum adiunctum esse tribus inferorum iudicibus tamquam *θεσμοφόρον*, neque quae B. Constant[3]): „Platon, dans l'apologie, pour mieux nationaliser ce tribunal, place à côté des trois juges des enfers Triptolème, le favori de Cérès, qui le premier donna aux Athéniens l'agriculture et avec elle les lois et la vie sociale." Coniecturae autem propter Eleusinia mysteria Triptolemum iudicandi munere esse ornatum non certa exstant argumenta, nisi ex eo, quod initiati meliorem apud inferos consequuntur sortem quam qui sacrorum non sunt facti participes,[4]) heroa illum sua auctoritate aliquid valere in eorum iudicio sumpturus es: qua de re disputabimus postea.

Reliquum est, ut breviter agamus de viris iustis praeterea in Apologia commemoratis: *εἰ γάρ τις ἀφικόμενος εἰς Ἅιδου ἀπαλλαγεὶς τούτων τῶν φασκόντων δικαστῶν εἶναι εὑρήσει τοὺς ἀληθῶς δικαστάς, οἵπερ λέγονται ἐκεῖ δικάζειν, Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς καὶ Αἰακὸς καὶ Τριπτόλεμος καὶ ἄλλοι ὅσοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο ἐν τῷ ἑαυτῶν βίῳ* .. quae verba sic est interpretatus Rohdius,[5]) ut Platonem hoc loco vulgares potius, ut ita dicam, opiniones protulisse contenderet neque locutum esse de ultimo iudicio, sed de tribunali quodam inter mortuos constituto, in quo non de rebus ab hominibus supra terram male factis, immo vero de litibus inter ipsos defunctos exortis iudicaretur a tot arbitris aeque atque apud Homerum, qui solum Minoem tali officio fecisset fungentem. Tamen aliam explicandi rationem mihi repperisse videor. Primum enim in illo sententiarum contextu aptius de eis iudicibus cogitatur, a quibus Socrates, ut meliore iustitia usi, quam Athenienses, aut damnent aut absolvant

[1]) C. Watzinger, Studien zur unterital. Vasenmalerei p. 46.
[2]) Zeitschrift für Geschichte u. Auslegung der alten Kunst I 1 p. 134.
[3]) l. supra (p. 33 adn. 1) s. p. 388 adnot. 1.
[4]) Vide infra p. 51 et Platonis personati Axioch. 371 D.
[5]) l. s. I² p. 310 adnot. 1.

accusatum impetrabit. Deinde nihil habeo, cur Minoi ceterisque aliud atque in Gorgia officium attribuam. Tum si quis offenderit in tanto iudicum numero, ad Aegyptios eum mitto, quorum quadraginta quinque apud inferos fuisse scimus.[1]) Accedit denique — et summi mihi id esse videtur momenti — quod ex aliis quoque libris iustos ultimo die de iniustis ferre sententiam apparet: Christianorum dico.[2]) Quorum testimonia sunt haec: Matth. 19, 28; Luc. 22, 30; epist. I ad Corinth. missa 6, 2, 3: *οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι; . . . οὐκ οἴδατε, ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν;* Praeterea Luciani vide locum hunc (Ver. hist. II 6): *καὶ τοῖς συνέδροις ἐκοινοῦτο* (scil. *ὁ Ῥαδάμανθυς*) *περὶ ἡμῶν. συνήδρευον δὲ ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Ἀριστείδης ὁ δίκαιος ὁ Ἀθηναῖος,*[3]) ubi eadem subest sententia. Quae cum ita sint, ut Plato, cuius valde exculta est religio, simile quid sentiret nonne potuit fieri? Neque igitur adsentior Rohdio, si iustos in Apologia laudatos de litibus inter mortuos ipsos exortis iudicare putat.

Iam ad Minoem Aeacum Rhadamanthum redeamus, quorum primus quasi suprema potestate est praeditus diiudicandi, si quae dubiae deliberantur causae et collegae, ne perspiciant eas difficultatibus nescio quibus impediuntur. Solus igitur tenet aureum sceptrum, Aeaco autem et Rhadamantho *ῥάβδοι* attribuuntur. Iuncti sedent in prato quodam, unde proficiscuntur duae viae, quarum sinistra ad Tartarum ducuntur animae, dextra vero ad Elysios campos. Quem locum quoniam in Re publica *τόπον τινὰ δαιμόνιον* appellat Plato, ubi fauces altera ad terram vel melius sub terram, altera ad caelum vergunt, aliam rationem in Gorgia, aliam in Re publica secutus esse videtur philosophus. Attamen idem forum esse in utroque dialogo iam Proclus commentariis in Platonis de Re publ. libros conscriptis nobis explicavit (ed. Kroll II p. 132 sq.): *Τὸ μὲν οὖν τὸν δαιμόνιον τόπον δικαστικὸν εἶναι τόπον . . δῆλον, . . τὸ δὲ μηδὲν τοῦτον διαφέρειν τῆς τριόδου τὸν ἐν Γοργίᾳ μῦθον ἡμᾶς διδάσκειν φήσομεν. ἐν γὰρ τῇ τριόδῳ καθῆσθαί φησιν ἐκεῖνος* (*ὁ Ἀρμ.*) *τοὺς δικαστάς·*

[1]) Testis Wiedemannus p. 131.

[2]) Vide Herzogii et Hauckii librum qui inscribitur 'Realencyclopädie für protest. Theologie' s. v. "Gericht".

[3]) Vide infra p. 63.

εἰ δὲ ἐκεῖνος καὶ τὸν λειμῶνα τῇ τριόδῳ συνῆψεν εἰπὼν ἐν τῷ λειμῶνι δικάζειν αὐτοὺς ἐν τῇ τριόδῳ, παντὶ δήπου γνώριμον, ὅτι τὰ τρία τὸν αὐτὸν δηλοῖ τοῦ κόσμου τόπον . . . μεταξὺ δὲ οὐρανοῦ καὶ γῆς . . ὑπὸ σελήνην τόπος . . .[1]) Neque multum refert ad absolvendam quam instituimus quaestionem, utrum re vera loci illius talis fuerit situs, qualem interpretatus est Proclus, dummodo iudicium ipsum minime esse mutatum diversis libris videamus. Nam etsi planius in Gorgia et in Re publica Plato de eo egit quam in Phaedone et in Phaedro, tamen non contra se pugnant, quae protulit, sed ad eandem coeunt imaginem.

Iam singula describere pergamus. Ad iudices igitur perveniunt animae non sua sponte progressae, cum daemones quosdam eis comites esse attributos audiamus (Phaed. 107 D).[2]) In tribunali ex Asia oriundae a Rhadamantho, ex Europa ab Aeaco accipiunt sortes, quibus sunt dignae.

[1]) Quodsi Proclus locum dicit *ὑπὸ σελήνην* esse, nescio an Stoicorum (i. e. Posidonii: vide Nordenum l. c. p. 23 sq.) imprimis secutus sit doctrinas, qui item animas purgari loco quodam sub luna sito contendebant: cuius sententiae contulit testimonia Ricardus Heinze, Xenocrates p. 126 sqq. Vide etiam Iamblichum apud Lyd. de mens. p. 167, 23 W.

[2]) De daemonibus, qui quidem mortuos ducant ad iudices, nonnulla proferam argumenta: Apud Aeschylum Eum. 267 sqq. Erinyes agunt sontes in Orcum, ut ibi de eis iudicetur (Dieterich Nek. p. 58 sqq.).

Apud Lucianum Catapl. 23 et 25 Tisiphone ducit reos ante Rhadamanthi tribunal. Vide infra p. 58 sq.

Alcestis et Hermes Vibiae sunt comites, quae ad Ditis patris et Iunonis infernae solium pervenit nactura iudicium; vide Ernestum Maass, l. s. p. 219 sqq., qui de aliis quoque animarum ducibus disseruit, p. 222 adnot. 31 (in Sen. Apocol. Claudius recipitur a crudelitatis suae testibus), p. 223 adnot. 33 et p. 227 (Culex salutatur ab heroidibus et ducitur ad Persephonen).

Anubis Aegyptiorum interdum comitatur mortuum ad Osiridis tribunal (Wiedemann p. 131).

In libri sacri 'Avesta' quem vocant cap. XIX v. 29 (Vendidâd appellatur ea pars) simillimas opiniones reperimus. Söderblom l. c. p. 89 vertit illum locum sic: „Après qu'un homme est mort, les démons impies et malveillants font leurs attaques . . . alors le démon nommé Vizarəša amène enchainée l'âme pécheresse . . . Elle suit le chemin créé par le temps . . le pont Cinvat . .“: ibi autem fit iudicium!

In Pauli quoque apocalypsi (ed. Tischendorf p. 45—47) angelum quendam animam ad Deum iudicem ducere legimus. Adde etiam historiam Josephi c. XIII (evang. apocr. ed. Tischendorf p. 121).

Ac mirum, quo modo cognoscant iudices, quae quisque apud superos peccaverit. Nam animam quasi corpore praeditam vestimenta iubent exuere, ut notis quibusdam velut cicatricibus impressis vitia possint enumerare neve diutius decipiantur. Neque praetereundum est duobus locis iudicibus ignotos esse reos expressis verbis commemorari (Gorg. 524 B, 526 B), ubi, qua de causa id fiat, additur. Singulorum denique postquam satis perspexerunt vivendi rationem, signa affigunt in iudicatorum corporibus: et in pectoribus quidem eorum, qui sancti castique ad Elysios dimittuntur campos; qui autem ad Tartarum ire coguntur, in tergis secum portant illas notas, quae *σημεῖα* vocantur *πάντων ὧν ἔπραξαν* (Rep. 614 C).[1]) Quem ad locum mihi liceat addere Procli explicationem (II p. 150): *αἱ μὲν . . κρείττους* (scil. *ψυχαὶ*) *καὶ εἰς νοῦν ὁρᾶν ἐθέλουσιν . . καὶ γιγνώσκουσιν ἑαυτὰς καὶ τὸ οἰκεῖον τέλος· διὸ κινοῦνται τὴν ἐπὶ δεξιὰ καὶ ἄνω καὶ τὰ δικαστικὰ σημεῖα πρόσω φέρουσιν. αἱ δὲ χείρους καὶ εἰς τὴν τῶν παθῶν ἀταξίαν ὀπισθοβαροῦσι, . . . διὸ καὶ κάτω χωροῦσι . . καὶ ὀπίοω περιάπτεται αὐταῖς τὰ σημεῖα τῆς κρίσεως. οὐ γὰρ βλέπουσι τὰ κακὰ τὰ ἑαυτῶν οὐδὲ γιγνώσκουσι τὰ οἰκεῖα πάθη, . . . χρὴ δὲ ταῖς ἀλογωτέραις ἀπονέμειν δυνάμεσιν τὰ εἰς τὰ ὄπισθεν ταῖς φυσικαῖς, ... ὡς ταῖς νοερωτέραις τὴν εἰς τὸ πρόσω βλέψιν, . . καὶ τοῦτο παντὶ καταφανές, ὅτι σημείων ἐστὶν ἔργον τύπον μέν τινα καὶ ἴχνος ἐκείνων ἔχειν ὧν ἐστιν σημεῖα, . . . εἰ οὖν τοιόνδε τι δηλοῖ τὸ σημεῖον, οἷπερ ἂν ᾖ σημεῖον, λέγειν χρὴ κἀνταῦθα τὴν πρόδρομον τῶν δικαστῶν εἰς τὰς ψυχὰς δόσιν τῶν ὀφειλομένων σημεῖον προσαγορεύειν τὸν μῦθον.* Proclus igitur signis in mortuorum pectoribus aut tergis affixis *τύπον καὶ ἴχνος ἐκείνων ἔχουσιν ὧν ἐστὶν σημεῖα* eandem vim attribuit quam *στίγμασι* in animis ipsis impressis, ut quae poena sit statuenda facile ab eis, quorum hoc est officium, cognoscatur.[2])

---

[1]) Apud Aegyptios, postquam mortuus ad Osiridis tribunal pervenit, *ψυχοστασία* instituitur, ut turpia et honesta facta dignoscantur. Quae omnia a deo quodam, cui nomen est Thoth, in tabellas referuntur, quibus usus Osiris deinde profert summam sententiam. Hae tabellae similes esse videntur Platonis signorum. Vide Le livre des morts, trad. par P. Pierret, p. 131 et Wiedemannum p. 131.

[2]) Quae omnia etsi e recentioris Platonici philosophia contemplativa

Attamen nonnulla desideramus, quae ad explendum iudiciorum apparatum sunt usui: testes dico, qui qua de causa reiecti sint iam notum est, et patronos, qui defendant reos contra accusatores, vel contra iudices. Sed nescio, an has quoque defendendi rationes iam in Critone inveniamus quasi orituras (p. 54 B), ubi leges Socrati haec dicunt: *Ἀλλ', ὦ Σώκρατες, πειθόμενος ἡμῖν τοῖς σοῖς τροφεῦσι μήτε παῖδας περὶ πλείονος ποιοῦ μήτε τὸ ζῆν μήτε ἄλλο μηδὲν πρὸ τοῦ δικαίου, ἵνα ἔχῃς πάντα ταῦτα ἀπολογήσασθαι τοῖς ἐκεῖ ἄρχουσιν* (scil. *νόμοις*) *εἰς Ἅιδου ἐλθών.* Et paulo infra scriptum legimus: *καὶ ἐκεῖ . . . οἱ ἐν Ἅιδου νόμοι οὐκ εὐμενῶς σε ὑποδέξονται, εἰδότες ὅτι καὶ ἡμᾶς ἐπεχείρησας ἀπολέσαι τὸ σὸν μέρος.* Quae sic sunt intellegenda, ut sumamus Socratem accusatum post mortem sese contra leges velut humana specie indutas defendere oportere.

Restat, ut breviter quo tempore fiat iudicium disseramus quaque ratione cum metempsychosi coniunctum sit secundum Platonem. Nam primum de vivis tulerunt iudices sententiam et *ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐδίκαζον, ᾗ μέλλοιεν τελευτᾶν* (scil. *οἱ δικαζόμενοι,* Gorg. 523 E). Deinde autem, postquam novum forum iudiciale a Iove apud inferos institutum est, *ἐξαίφνης ἀποθανόντος ἑκάστου* iudicavere quibus mandatum est.[1]) Ita autem cum metempsychosi iudicum sententiae cohaerent, ut animis, quamdiu aut sub terra aut in caelo versari opus sit indicatur, priusquam novam vivendi rationem sibi sortiantur. *Εἶναι δὲ τὴν πορείαν χιλιέτη* affirmat Plato in Re publ. p. 615 A, similia Phaedr. p. 249 B professus.

IV

Sed iam quonam ex fonte manaverint quae de mortuorum iudicio protulerunt et Pindarus poeta et Plato philosophus investi-

manasse apparet, tamen quid illi de his rebus cogitavissent ipsius Procli explanari verbis non inutile esse putavi.

[1]) De iudicio post primam vitam facto vide supra p. 37. Iudicium statim post mortem instituitur apud Aegyptios quoque (Wiedemann l. s. p. 131); apud Iudaeos (vide quae Schwallyus, Das Leben nach dem Tode p. 156 157, de Sapientia Salomonis disseruit, qui tamen liber complures continet opiniones a Graecorum non alienas) confunduntur et iudicii statim post mortem facti et diei resurrectionis opiniones (Schwally p. 170); apud Persas posterioribus demum temporibus iudicium transfertur ab ultimo die ad diem morti proximum (N. Söderblom l. s. p. 95.).

gemus. Pindarum theologorum quorundam secutum esse doctrinas inter eos constat, qui subtilius in carmen olympicum II inque similium carminum fragmenta inquisiverunt. Ac breviter repetam, quae Albrechtus Dieterich de Pindarica imprimis Orphicorum et Pythagoricorum doctrinae adumbratione exposuerit (Nekyia p. 63—136). Duobus enim locis, in fragm. 133 neniae in mortem Gelonis compositae et in hoc nostro carm. ol. II Theroni dedicato, strictim attingit quaedam mysteria (ol. II, 56: .. οἶδεν .. τὸ μέλλον, 83: βέλη φωνάεντα συνετοῖσιν), ut eos, ad quos missa sunt carmina consoletur. Sicilia enim in insula maxime tunc floruisse tales opiniones, ita ut facile eis imbueretur poeta, etiam Rohdius (l. s. II[2] p. 216 cum adnot. 1) coniecit. Quae mysteria qualia fuerint clarissime perspicitur e carmine saepius laudato olympico, ubi loquitur poeta de Semele a filio ducta hederato, de Inone, de mortuis puniendis aut praemio decorandis, de beatorum insulis eisque qui in illis habitant, quae omnia spectant ad sacra Orphicorum (Diet. p. 112). Nam ex mystarum aureis laminis et e verbis Empedoclis, qui ipse erat quasi propheta illius sectae (Diet. p. 108), ab Orphicis de animarum condicione, de peccatorum poena deque transeundi ratione multa disputata esse scimus aeque atque a Pythagoricorum sectae adscriptis. Quae autem ad hos, quae ad illos pertineant, ut singula cognoscamus fieri non potest (Diet. p. 109 adnot. 2) neque opus est ad nostram absolvendam quaestionem hac cognitione; sufficiat nobis statuisse deductam esse Pindari τὴν ἐσχατολογίαν ex Orphicorum sive Pythagoricorum mysteriis inter se simillimis. Iam quid Plato de metempsychosi sentiret quidve de suppliciis et donis post mortem attribuendis, in eis quae praecedunt explanatum est ita, ut iterum illa supervacaneum sit enumerare. Nemo autem consentire eum in his cum Pindaro negabit. Cum vero Pindarum et Orphicos et Pythagoricos secutum esse e doctrinis utrorumque certissime concludendum erat, idem de Platone statuamus necesse est, atque Plato ipse se illa sacra cognovisse testatur, v. c. Cratyl. p. 400 C: δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα (σῆμα), ὡς δίκην διδούσης τῆς ψυχῆς.[1]) Quibus

[1]) Fusius de his egit Dieterichius l. s. p. 113.

constitutis si quaerimus de mortuorum iudicio, quod et apud Pindarum et apud Platonem descriptum vidimus, haud iniuria id quoque e communi illo fonte, quem proposuimus, fluxisse concludemus. Quare operae pretium erit hic paulum subsistere, ut quomodo res se habeat clarius intellegamus. Apud Orphicos enim et Pythagoricos metempsychosin poenam fuisse creditam,[1]) quae imponeretur, ut ab aliis ad alios transeundo purgarentur animae, constat, sed nondum ea testimonia protulimus, quibus iam theologorum illorum sententia tale, quale postea, iudicium exstitisse et cum metempsychosi fuisse coniunctum demonstraretur. Ac reminiscamur Socratem in dialogis ante exscriptis iterum iterumque contendisse se non *μῦθον, ἀλλὰ λόγον* secutum de animae immortalitate et de iudicii et metempsychoseos doctrinis disputasse, Gorg. 523 A: *Ἄκουε δή, φασί, μάλα καλοῦ λόγου, ὃν σὺ μὲν ἡγήσει μῦθον, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ἐγὼ δὲ λόγον. ὡς ἀληθῆ γὰρ ὄντα* et q. s.; 524 A: *ταῦτ' ἔστιν . . ἃ ἐγὼ ἀκηκοὼς πιστεύω ἀληθῆ εἶναι.* Neque contra pugnare mihi videntur, quae in Phaedonis p. 114 D legimus: *τὸ μὲν οὖν τὰ ταῦτα διισχυρίσασθαι οὕτως ἔχειν, ὡς ἐγὼ διελήλυθα, οὐ πρέπει νοῦν ἔχοντι ἀνδρί· ὅτι μέντοι ἢ ταῦτ' ἐστὶν ἢ τοιαῦτ' ἄττα περὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν καὶ τὰς οἰκήσεις . . τοῦτο καὶ πρέπειν μοι δοκεῖ καὶ ἄξιον κινδυνεῦσαι οἰομένῳ οὕτως ἔχειν.* Necesse est concludamus ex his locis Platonem, cui addamus Pindarum, ex Orphicorum et Pythagoricorum sacris libris totam iudicandi notionem deprompsisse, quamquam singula, ut iudicum nomina et numerum alia ex Atticorum vulgaribus fabulis poterant hauriri.[2])

Restat, ut percontemur, an re vera mortuorum iudicium sibi finxerint mystarum theologi. At profecto eos illud

---

[1]) Vide Dieterichium, l. s. p. 9 cum adnot. 1, ubi de Philolao Pythagorico testem affert Clem. Alex. Strom. III 433 et Theodoret. graec. aff. cur. V 14.

[2]) De fabula Gorgiae imposita disputat Dieterichius (l. s. p. 118) sic: 'Freilich mag die Geschichte von der Veränderung im Verfahren des jüngsten Gerichts im Gorgias, die wie eine volkstümliche Fabel, fast wie ein attisches Volksmärchen aussieht, aus anderen Traditionen hier angefügt oder auch Erfindung des Plato selbst sein'.

finxisse ut demonstrem, primum locum afferam a Iamblicho vitae Pythagorae c. 29 (155) insertum: *πολλῷ δὲ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ὅσιον εἶναι λέγει* (scil. *ὁ Πυθαγόρας*) *ἢ κτείνειν ἄνθρωπον· ἐν ᾅδου γὰρ κεῖσθαι κρίσιν· ἐκλογιζόμενος τὰς περὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς τὴν πρώτην τῶν ὄντων φύσεις* et paulo infra c. 30 (179): *καὶ ἄλλην δὲ μέθοδον ἀνεῦρε τοῦ ἀναστέλλειν τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ τῆς ἀδικίας, διὰ τῆς κρίσεως τῶν ψυχῶν, εἰδὼς μὲν ἀληθῶς ταύτην λεγομένην εἰδώς τε καὶ χρήσιμον οὖσαν εἰς τὸν φόβον τῆς ἀδικίας. Πολλῷ δὲ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι δεῖν παρήγγελεν ἢ κτείνειν ἄνθρωπον ἐν ᾅδου* et quae sequuntur.[1]) Exstat igitur iudicium apud inferos et verba illa *ἐκλογιζόμενος τὰς περὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς .. φύσεις* ad animae naturam spectare videntur, qua fit, ut puniri possit post mortem metempsychosin subeundo. Quinam iudices exerceant iudicium nondum apparet neque adsentior Dieterichio, qui in aliarum contextu sententiarum (Nek. p. 207)[2]), cum de puniendi rationibus ageret, Rhadamanthum Pythagoricorum fuisse arbitrum infernum putavit. Aeacum Minoem Rhadamanthum ab initio iunctos fuisse non est verisimile — cur enim de eis ipsis usque ad Platonis fere aetatem nihil audimus? —, sed currente aevo unum post

---

[1]) Alium quendam locum non recepi in verborum contextum, quod non omnia recte me intellegere confiteor. Est autem Diog. Laert. vit. Pythag. 35, qui inter praecepta Pythagorae haec exhibet: *ἄρτον μὴ καταγνύειν, ὅτι ἐφ' ἕνα οἱ πάλαι τῶν φίλων ἐφοίτων, καθάπερ ἔτι καὶ νῦν οἱ βάρβαροι· μηδὲ διαιρεῖν ὃς συνάγει αὐτούς· οἱ δὲ πρὸς τὴν ἐν ᾅδου κρίσιν. οἱ δ' εἰς πόλεμον δειλίαν ποιεῖν· οἱ δέ, ἐπεὶ ἀπὸ τούτου ἄρχεται τὸ ὅλον.* Interpretes quidam secundum Pythagoram panem frangi non oportere, quod eos, qui id fecissent, in Orco iudicium exspectaret opinati sunt; vide Goettlingium, Ges. Abh. p. 313/314.

[2]) Citat ibi Aristotelem (ethic. Nicom. V 8): *δοκεῖ δέ τισι καὶ τὸ ἀντιπεπονθὸς εἶναι ἁπλῶς* (*τὸ*) *δίκαιον, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι ἔφασαν. ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ ... καίτοι βούλονταί γε τοῦτο λέγειν καὶ τὸ Ῥαδαμάνθυος δίκαιον· εἴ κε πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη γ' ἰθεῖα γένοιτο,* et pergit sic: 'Also die Pythagoreer haben diese Wiedervergeltungslehre gepflegt und ihrem Totenrichter R. wurden alte Verse, die diese Lehre aussprachen, beigelegt'. At illis verbis Rhadamanthum mortuorum fuisse iudicem minime demonstratur, immo vero Rhadamantho attributa sunt, quod omnino habebatur iustissimus, qui hominibus leges dederat: vide R. Hirzel, Der Eid p. 90.

alterum iudices institutos esse sumamus. Neque tamen quo tempore[1]) aut quorum auctoritate[2]) id factum sit, statuere licet.

Sed iam a Pythagoreis ad Orphicos transeamus, quibus inferorum iudicium non ignotum fuisse ex amphora illa, Canosa-Muenchen 849 quae vocatur, licebit concludere. Ac sequor Furtwaenglerum, qui proximus egit luculentissime de imagine illic depicta (F. et Reichhold, „Griech. Vasenmalerei" in textu addito p. 47).[3]) Videmus enim media in amphora sub aedicula Ionicis instructa columnis Plutonem ipsum in sella sedentem et cum Proserpina colloquentem, quae abitura videtur et retro ad coniugem flectit cervicem. In dextra parte collocati sunt viri tres, quos mortuorum esse iudices constat aliis vasorum imaginibus comparatis (apud Winklerum l. s.); alibi enim nomina adscripta sunt, quae hic quidem desideramus: Aeacus Triptolemus Rhadamanthus.[4]) A sinistra quasi saltans Orpheus

---

[1]) Dubito an recte coniecerit Chr. G. Heyne in excursu ad Aen. VI p. 1024: 'fabula adeo de trinis iudicibus inferorum post Homerum, forte et post Pindarum inventa est; eo aevo adoptata, cum reges non amplius ipsi ius dicerent, sed darent iudices, aut cum in civitatibus Graeciae iudices selecti constituerentur . . Aeacus vero ultimus accessit forte ab Homerico aliquo poeta surrogatus in Achillis honorem, cuius avus erat Aeacus'.

[2]) Quamquam videtur Atticorum; vide locum e Dieterichii libro (p. 118) supra p. 47 adn. 2 exscriptum.

[3]) Hanc amphoram prae reliquis adhibere malui laudatam apud Winklerum, Die Darstellungen d. Unterwelt auf unteritalischen Vasen, Comm. Philol. Vratislav. III, 5 1888, quod et clarissimam praebet imaginem in editione a Furtwaenglero et Reichholdio curata (tab. X), et quod de ea optime atque diligentissime adhuc dissertatum est a Furtwaenglero archaeologo illo peritissimo, qui etiam libros contulit, ut ad explicandam perveniret eam amphoram. Sed longum est omnia repetere. Postquam vero archaeologus quoque eandem interpretandi viam ingressus est, quam iam E. Kuhnert (Jahrbuch d. Archäol. Inst. VIII, 1893 p. 404) et Dieterichius (Nekyia p. 128 sqq.) monstravere, non habeo, quod non ad eos me conferam. Rohdius in adnotatione p. 311 de hac amphora nihil dixit.

[4]) Eadem nomina Furtwaengler amphorae nostrae vindicat; Winkler vero a sinistra incipiens (l. s. p. 9) Minois Aeaci Rhadamanthi nomina iudicibus attribuit, cum heroem Asianorum more vestitum Minoem esse propter Platonis descriptionem (Gorg. 523) exponeret. Contra Furtwaengler Winkleri Minoi Aeaci nomen dedit: nam vestimenta, de quibus agitur, omnino esse regibus propria ex ipsa imagine apparere, quod et Pluto et Tantalus eisdem essent induti. Winkleri Aeacum autem Triptolemum esse vult causa aliqua

appropinquat et citharam tenet manibus, post eum parentes quidam una cum filio accedere videntur. Infra Hercules Cerberum secum ducere conatur, Hecate Orci portas custodit, Tantalus et Sisyphus torquentur; supra Pirithous, Theseus, Dice et Herculis uxor Megara una cum filiolis *ἀώροις βιαιοθανάτοις* sunt picti. Quid sibi haec omnia volunt? De industria auctore Furtwaenglero (p. 48) pictor ita composuit figuras, quae exstant in media amphorae parte, ut Orpheum iuxta Orci deos et contra defunctorum collocaret iudices. Nam Aeacus Triptolemus Rhadamanthus maxima cum severitate ferunt sententias et pios ab impiis segregant. Orpheus autem carminibus homines edocuit, quomodo vita sancte peragenda inferos sibi possent conciliare, ut iudicibus inexorabilibus placerent et ad insulas beatorum mitterentur. Ita in nostra quoque imagine Thracius ille heros non ut uxor sibi reddatur a Plutone et Proserpina petit — neque enim adest Eurydice [1]) —, sed pro nuntio divino mortalibus ad adipiscendam summam felicitatem audiendo accipiendus est. Quare nunc etiam de figuris post Orpheum appropinquantibus melius iudicabimus, cum non iam dubitemus, quin beati sint homines qui sanctissimi sacerdotis secuti religionem sorte fruantur praeclarissima. Quodsi crines corona murtea ille vir premit, qui pater familias esse videtur, pro certo affirmabimus pictorem mystarum doctrinis fuisse imbutum, nam a Platone (v. c. de Republ. p. 363 D) beatos ex Orphicorum opinionibus coronas gestasse in Elysiis campis edocemur,[2]) et *κόσκινον* quoque humi iacet, de quo Orphicorum tormento apud inferos adhibito idem Plato nobis tradidit testimonia (Gorg. p. 493 B; de Republ. p. 363 D). Triptolemus denique ad Eleusiniorum exemplum in Minois regis odiosissimi locum receptus est, ut eorum quoque sacrorum instituta cognovisse pictorem

---

commotus, quam refutare difficillimum erit: spicarum enim eum ornatum esse corona primus, ut videtur, observavit. Quae si recte se habent, optime quadrant ad Ervini Rohde sententiam. de qua supra p. 40 egimus.

[1]) De Orpheo Eurydicen reducente ad alias nos mittit picturas Furtwaengler l. s. p. 49.

[2]) Sacerdotes Eleusinios murteas coronas gestavisse ex schol. Soph. Oed. Col. 681 apparet. Vide etiam *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1901 tab. I.

statuamus. Triptolemi igitur iudicium imprimis ad eos pertinere videtur, qui sacris sunt initiati ideoque meliorem locum apud inferos nanciscuntur: *μεμυημένοις ἐστί τις προεδρία*, ut Platonis personati verbis utar (Axiochi p. 371 D). Quae omnia si accurate perpenderimus, iudicium post mortem factum non alienum fuisse a mysteriorum,[1]) quae tractavimus, sententiis concedemus. Nam iudices, quos in tali imagine depictos invenimus, quibus et Triptolemum adnumeramus, advenientibus illis beate vivendi sortem attributuros esse persuasum habeo, quanquam ipsum iudicandi momentum descriptum esse minime contenderim.[2]) Ne Orphicos quidem quo tempore primum certos nominaverint iudices, possumus suspicari, etsi amphoram confectam esse saeculo quarto a. Chr. n. a Furtwaenglero certiores sumus facti, neque quomodo in dandis nominibus cum eis Plato cohaereat, scimus. Sed haec

---

[1]) Comparetti (Journal of Hellenic Studies a. 1882 p. 114) in tabula apud Peteliam reperta iudicem animarum esse commemoratum credidit nixus his versibus

Ἀλλ' ὁπόταμ ψυχὴ προλίπῃ φάος ἠελίοιο
δεξιὸν ἑ . . . . οιας δεῖ τινα πεφυλαγμένον εὖ μάλα πάντα.

Dicit enim: 'The judge of the souls (just as in Pindar where this poete alludes to mystic belief in his second olymp. ode, is not named, but only alluded to by the indeterminate pronoun *τίς*'. Sed coniectura infirmior mihi esse videtur quam ut recipiam, praesertim cum Pindari illud *τις* retulerimus ad *Ἀνάγκαν* deam. Vide etiam Dieterichium p. 85 adn. 2.

[2]) Ervinus Rohde, si amphoram, de qua modo egimus, l. s. adhibuisset, in eam eadem, quae contra alias, disseruisset (I² p. 311 adnot. 1): 'Daß übrigens die drei Gerechten auf jenen Vasenbildern Gericht über die im Leben begangenen Taten halten, ist mit nichts angedeutet, ja genau genommen überhaupt nichts von richterlicher Tätigkeit. Deutlich ist nur, daß sie, eben als Muster der Gerechtigkeit *ἐπὶ ταῖσι τοῦ Πλούτωνος οἰκοῦσι θύραις* (wie die Mysten Arist. Ran. 163), sie genießen das Recht der *πάρεδροι*, daher sie auch auf *θρόνοι* oder *δίφροι* sitzen'. Concedo iudicandi momentum depictum non esse, sed si exstant iudices, de iudicio quoque vel ante instituto vel post instituendo cogitatur. Et iudices sunt; nam quod *παρέδρους* eos esse contendit Rohdius, quia sederent, non adsentior, primum, quod et in vasibus illis et in hac amphora non omnes sedent, sed Aeacus stat (Canosa-München), Aeacus et Rhadamanthus stant (Altamura-Neapel). Deinde, etsi sederent, tamen id non multum contra iudices valeret; apud Platonem enim (Republ. 614 B) et apud posteriores nonnullos omnino indices sedere legimus.

iam nunc dicere licebit, neminem esse qui dubitet quin et Pindarus et Plato, cum in ceteris rebus, ut antea vidimus, Pythagoricos et Orphicos secuti sint, mortuorum iudicii quoque opiniones ex illis hauserint easque aut propriis aut aliorum sententiis excoluerint.

Sententiis Platonicis liceat mihi addere locos tres, qui quamquam ab ipso Platone non sunt conscripti, tamen optime valent ad illustrandas illius opiniones.

Axiochi p. 371 B et C. Socrates sibi Gobryam quendam narrantem fingit, quae ἐκ τινῶν χαλκέων δέλτων Delo in insula conservatis compererit: *μετὰ τὴν τοῦ σώματος λύσιν τὴν ψυχὴν εἰς τὸν ἄδηλον χωρεῖν τόπον κατὰ τὴν ὑπόγειον οἴκησιν* quae deinde describitur. Ibi sunt *τὰ πρόπυλα τῆς εἰς Πλούτωνος ὁδοῦ· . . . .ταῦτα δὲ*, dicit Socrates, *ἀνοίξαντα ποταμὸς Ἀχέρων ἐκδέχεται, μεθ' ὃν Κωκυτός, οὓς χρὴ πορθμεύσαντας ἀχθῆναι ἐπὶ Μίνω καὶ Ῥαδάμανθυν, ὃ καλεῖται πεδίον ἀληθείας. ἐνταῦθα καθέζονται δικασταὶ ἀνακρίνοντες τῶν ἀφικνουμένων ἕκαστον, τίνα βίον βεβίωκε καὶ τίσιν ἐπιτηδεύμασιν ἐνῳκίσθη τῷ σώματι· ψεύσασθαι μὲν οὖν ἀμήχανον. ὅσοις μὲν οὖν ἐν τῷ ζῆν δαίμων ἀγαθὸς ἐπέπνευσεν, εἰς τὸν τῶν εὐσεβῶν χῶρον οἰκίζονται . . . ὅσοις δὲ τὸ ζῆν διὰ κακουργημάτων ἠλάθη, ἄγονται πρὸς Ἐρινύων ἐπ' ἔρεβος καὶ χάος διὰ ταρτάρου, ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν . . . . .*

Locus igitur, ubi sedent iudices, non iam idem est, qui Platonis, cum nunc eum situm esse sub terra audiamus in regno Plutonis. Campus autem veritatis cur vocetur non difficile est intellectu. Nam ut verum edicant mortui coguntur a Minoe et Rhadamantho, qui soli hic iudices commemorantur.[1]) Atque infra (p. 93 sqq.) quomodo in Axiocho factum esse mihi videatur, ut Aeacus omitteretur, disseram. Eodem hi iudices officio funguntur quo Platonici: mittunt pios in piorum campos, ubi bona praeclara eis parata sunt, impios Furiis in Erebum et Chaos, ut ibi collocentur et poenas luant, tradunt ducendos. De iudicio cum metempsychosi coniuncto nihil

[1]) Non recte igitur disputavit L. Schmidt l. s. p. 101. qui Axiocho quoque tres attribuit iudices.

loquitur auctor[1]) nobis ignotus neque de singulis iudicandi formulis, quas apud Platonem ipsum inveneramus.

Platonis epist. VII. quae fertur (Epistol. Graec. ed. Hercher p. 510): *πείθεσθαι δὲ ὄντως ἀεὶ χρὴ τοῖς παλαιοῖς τε καὶ ἱεροῖς λόγοις, οἳ δὴ μηνύουσιν ἡμῖν ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι δικαστάς τε ἴσχειν καὶ τίνειν τὰς μεγίστας τιμωρίας, ὅταν ἀπαλλαχθῇ τοῦ σώματος.*

Consentiunt cum ipsius Platonis sententiis haec verba eodem modo quo ea quae sequuntur:

Platonis quod fertur epigr. 12 (Anthol. lyr. ed. Hiller-Crusius p. 140):

Ναυηγόν με δέδορκας, ὃν ἡ κτείνασα θάλασσα
γυμνῶσαι πνιάτου φάρεος ἠδέσατο,
ἄνθρωπος παλάμῃσιν ἀταρβήτοις μ' ἀπέδυσεν
τόσσον ἄγος τόσσου κέρδεος ἀράμενος.
κεῖνο καὶ ἐνδύσαιτο καὶ ἐς Ἀΐδαο φέροιτο,
καί μιν ἴδοι Μίνως τοὐμὸν ἔχοντα ῥάκος.

Naufragium fecit nescio quis et cum vita omnia uno excepto vestimento amisit. Sed ne id quidem potuit retinere mortuus, cum a latrone sceleratissimo eriperetur ipsi, quo fit, ut illum exsecretur atque speret, Minoem a praedone, cum mortuorum ante tribunal pervenerit, unde habeat vestimentum cogniturum esse et paraturum poenam gravissimam. Minos igitur iudex est apud inferos, sed caveas, ne quod solus commemoratur, re vera eum unum ferre sententias putes. Nam facetiam, ut mihi videtur, epigramma illud affectat, diligentem in singulis descriptionem non curat.

V

Sed iam quomodo post Platonem illae opiniones viguerint investigemus eosque primum tractemus auctores, qui eandem nobis fere praebent imaginem; nam e Platone, qui primus tam plane Graecis descripsit ultimum iudicium, posteriores fere omnes pendent, ita tamen, ut singula aut omiserint aut de suo

[1]) Quamquam hunc auctorem imbutum fuisse etiam Orphicorum doctrinis ostenderunt Dieterich p. 121 et O. Immisch, Philol. Studien zu Plato, Fasc. I p. 61.

addiderint. Ac mirum, quod quattuor saeculis inde a Platonis temporibus nulla nec poetarum Graecorum nec oratorum — ut taceam de rerum scriptoribus — exstant testimonia, quibus opiniones ante enarratas tanta fuisse auctoritate demonstretur, ut facile reciperentur. Quamquam enim Atticorum et tragici et oratores quidam non silentio praeterierunt infernum iudicium, tamen pauca protulerunt neque apta, quae nobis magno essent usui. Et post illos omnino desideramus vestigia. Reminiscamur autem tum Stoicorum et Epicureorum doctrinas paulatim evaluisse, quae maxime abhorrerent a tali iudicio post mortem instituendo.[1]) Hac enim ipsa re factum est, ut Plutarchus[2]) demum longo spatio intermisso primus ad Platonem rediret, cum in consolatione ad Apollonium missa proferret omnia ea, quae in Gorgia de mortuorum iudicio leguntur. Sed vereor inde concludere pro vero habuisse Plutarchum tale defunctorum tribunal, nam et Pindari et Platonis tantum de animarum post mortem condicionibus sententias enumerat, ut qualem illi beatam vitam cogitaverint intellegat Apollonius atque speret filium quoque eam nacturum esse. Plutarchi autem ipsius minime interfuit explicare a certis iudicibus attribui vitam beatam eis, qui sancte vixissent: quod nemo negabit, qui hunc locum perlegerit. Quare credo Gorgiae verba una ea de causa esse adhibita, quod in eorum contextu de piis singulariter honestandis Plato locutus erat. Alio enim loco,[3]) quo commodissima Plutarcho oblata erat occasio disserendi de iudicio, quale investigandum nobis proposuimus, omnino nihil de eis audimus, quae exspectamus audire. Dico locum de ser. num. vind. p. 563 D sqq., ubi, quomodo Plato de Ere Armenio, narrat Aridaeum quendam Cilicem, quem mortuum putabant, post tres dies redivivum quae apud inferos vidisset descripsisse. Non omnia repetam, sed tamen ea, quae insunt in illa narratione spectantque ad iudicium quoddam animarum instituendum. Eius generis esse affirmabimus, si reminiscimur notarum, quae

[1]) Vide infra p. 75 sq.

[2]) Plutarchum Platonis fuisse imbutum doctrinis satis constat, ut fusius de hac re disserere non opus sit.

[3]) Neque vero est tanta gravitate tertius locus (De superst. p. 167 A) ut debeat adhiberi.

στίγματα appellantur a Platone, quibus cognoverunt Aeacus Minos Rhadamanthus, quae quisque apud superos in se scelera admisit, cum apud Plutarchum (l. c. p. 564 D) legimus: *ὁ Θεσπέσιος . . εἶδεν . . ἑτέρων* (scil. *ψυχῶν*) . . *φολίδας τινὰς διατρεχούσας ἢ μώλωπας ἀραιούς, ἄλλους δὲ κομιδῇ ποικίλους καὶ ἀτόπους τὴν ὄψιν, ὥσπερ οἱ ἔχιες μελάσμασι κατεστιγμένους . . . . . ἔλεγεν οὖν . . ὁ τοῦ Θεσπεσίου συγγενὴς . . ὡς Ἀδράστεια μὲν . . . ἐπὶ πᾶσι τιμωρὸς ἀνωτάτω τέτακται τοῖς ἀδικήμασι· καὶ . . τοὺς μὲν . . μεταχειρίζεται Ποινὴ ταχεῖα . . ὧν δὲ μεῖζόν ἐστιν ἔργον ἢ περὶ τὴν κακίαν ἰατρεία, τούτους Δίκη μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, τοὺς δὲ . . . ἡ τρίτη καὶ ἀγριωτάτη τῶν Ἀδραστείας ὑπουργῶν Ἐρινύς . . . ἠφάνισε* (p. 565 A) . . *ὃς δ' ἂν ἐκεῖθεν ἀκόλαστος ἐνταῦθα καὶ ἀκάθαρτος ἐξίκηται, τοῦτον ἡ Δίκη διαλαβοῦσα τῇ ψυχῇ καταφανῆ γυμνόν, εἰς οὐδὲν ἔχοντα καταδῦναι καὶ ἀποκρύψασθαι καὶ περιστεῖλαι τὴν μοχθηρίαν, ἀλλα πανταχόθεν καὶ ὑπὸ πάντων καὶ πάντα καθορώμενον ἔδειξε . . . .* (566 F) . . *τέλος δὲ τὸν πατέρα τὸν ἑαυτοῦ κατεῖδεν ἔκ τινος βαράθρου στιγμάτων καὶ οὐλῶν μεστὸν ἀναδυόμενον . . . σιωπᾶν οὐκ ἐώμενον, ἀλλ' ὁμολογεῖν ἀναγκαζόμενον ὑπὸ τῶν ἐφεστώτων ταῖς τιμωρίαις, ὅτι περὶ ξένους τινὰς μιαρὸς γενόμενος χρυσίον ἔχοντας, φαρμάκοις διαφθείρας καὶ ἐκεῖ διαλαθὼν ἅπαντας, ἐνταῦθ' ἐξελεγχθείς, τὰ μὲν ἤδη πέπονθε, τὰ δ' ἄγεται πεισόμενος.*

Iam horum enucleare conemur singula. *Στίγματα* igitur hic eodem modo quo a Platonis iudicibus adhibentur ad reos convincendos; deinde observatur verba *τοῦτον . . . καταφανῆ γυμνόν, εἰς οὐδὲν ἔχοντα καταδῦναι* et q. s. eundem habere sensum quem Platonis *ἔπειτα γυμνοὺς κριτέον*, cui etiam iudices corpore nudati sunt; quodsi autem *δαίμων Δίκῃ παραδίδωσι* eos, quorum *μεῖζόν ἐστιν ἔργον ἢ περὶ τὴν κακίαν ἰατρεία*, nonne nobis in mentem venit daemon ille, qui in Phaedone ante tribunal ducit animas puniendas? Accedit res nova: vidit Aridaeus patrem suum, qui vivus sceleratissime hospitium violaverat, *σιωπᾶν οὐκ ἐώμενον, ἀλλ' ὁμολογεῖν ἀναγκαζόμενον ὑπὸ τῶν ἐφεστώτων ταῖς τιμωρίαις . . . ἐνταῦθ' ἐξελεγχθείς*. Ac primo statim obtuto patrem ita dices p u n i r i, ut perpetuo quid peccaverit, fateri[1]) ab eis cogatur, quibus id mandatum

[1]) Quid significent eiusmodi confessiones nuperrime Ed. Norden, l. s.

est. Quod novum atque ignotum adhuc genus torquendi exortum esse persuasum habeo e vetere illa opinione, quaeri apud inferos ex reis, quaenam commisissent apud superos. Annon voce *ἐξελεγχθείς* etiam adducimur, ut rem sese ita habere putemus? Itaque etsi iudices non exstant — Adrasteam enim et Dicen aut, qui cogunt fateri, munere eorum fungi non ausim contendere -, tamen vestigia quaedam e Platone repetita et novis sententiis aucta nobis occurrisse apparet, quae quanta auctoritate fuerint, apud Lucianum videbimus, cuius libros nunc accuratius perquiramus.

Luciani Samosatensis operibus evolutis valde miramur, quantam et quam variam opinionum nobis materiam conservaverint. Atque certam ei fidem habebimus, quia quae in satiris ab eo conscriptis inveniuntur, licet uberius dicta sint, tamen certissima esse testimonia constat.[1]) Iam singula afferam argumenta.

Dialog. mort. XXX:

Μίνως: Ὁ μὲν λῃστὴς οὗτοσὶ Σώστρατος ἐς τὸν Πυριφλεγέθοντα ἐμβεβλήσθω, ὁ δὲ ἱερόσυλος ὑπὸ τῆς χιμαίρας διασπασθήτω, ὑμεῖς δὲ οἱ ἀγαθοὶ ἄπιτε κατὰ τάχος ἐς τὸ Ἠλύσιον πεδίον καὶ τὰς Μακάρων νήσους κατοικεῖτε, ἀνθ' ὧν δίκαια ἐποιεῖτε παρὰ τὸν βίον.

Σώστρ.: Ἄκουσον, ὦ Μίνως, εἴ σοι δίκαια δόξω λέγειν.

Μίν.: Νῦν ἀκούσω αὖθις; οὐ γὰρ ἐξελήλεγξαι, ὦ Σ., πονηρὸς ὢν καὶ τοσούτους ἀπεκτονώς;

Σώστρ.: Ἐλήλεγμαι μὲν . . .

Μίν.: Λέγε, μὴ μακρὰ μόνον, ὡς καὶ τοὺς ἄλλους διακρίνωμεν ἤδη.

Iudicavit modo de mortuis Minos et iustos ad Elysios misit campos, impios autem Mercurio tradidit puniendos. Multos alios dehinc exspectat, ut de eis quoque ferat sententiam, sed

---

p. 269 sq. exposuit, ubi locos usque ad Dantii Purgat. XIII, 36 collatos invenies.

[1]) O. Waser, Charon p. 51/52: 'es steht fest, daß sich Lucian in allem streng an die Tradition hielt; so finden wir seine Angaben über die Bestattungsgebräuche de luctu 10 überall bestätigt, und falls er mal etwas ad hoc hinzudichtet, ebenso streng an die ganze Analogie, d. h. kleine Zutaten gibt es durchaus nur im Sinn und Geist der Überlieferung'.

aliquamdiu retinetur a Sostrato latrone, qui minime sorte sua contentus esse videtur. Ac vehementer se defendisse ab accusatore reum ex verbis cognoscimus: *Νῦν ἀκούσω αὖθις; οὐ γὰρ ἐξελήλεγξαι . .;* A Sostrato igitur quaesitum esse, quid fecisset, eum se quicquam peccavisse, donec convinceretur, negavisse, ex illis verbis, imprimis ex voce *ἐλήλεγξαι*, qua nobis Plutarchi illud *ἐξελεγχθεὶς* in mentem revocatur, concludere licebit.

Menipp. c. 10 sqq.:

Μέν.: . . κατεφαίνετο . . . τοῦ Πλούτωνος τὰ βασίλεια· κατελθόντες δ' ὅμως διὰ τοῦ χάσματος τὸν μὲν Ῥαδάμανθυν εὕρομεν . . . 11 . . *κατ' ὀλίγον δὲ προϊόντες παραγινόμεθα πρὸς τὸ τοῦ Μίνωος δικαστήριον, ἐτύγχανε δὲ ὁ μὲν ἐπὶ θρόνου τινὸς ὑψηλοῦ καθήμενος, παρειστήκεσαν δὲ αὐτῷ Ποιναὶ καὶ ἀλάστορες καὶ Ἐρινύες· ἐτέρωθεν δὲ προσήγοντο πολλοί τινες ἐφεξῆς ἁλύσει μακρᾷ δεδεμένοι, ἐλέγοντο δὲ εἶναι μοιχοὶ καὶ πορνοβοσκοὶ . . . χωρὶς δὲ οἵ τε πλούσιοι καὶ τοκογλύφοι προσήεσαν . . . ἐφεστῶτες οὖν ἡμεῖς ἐωρῶμέν τε τὰ γιγνόμενα καὶ ἠκούομεν τῶν ἀπολογουμένων· κατηγόρουν δὲ αὐτῶν καινοί τινες καὶ παράδοξοι ῥήτορες.*

Φιλων.: Τίνες οὗτοι . .;

Μέν.: Οἶσθά που ταυτασὶ τὰς πρὸς τὸν ἥλιον ἀποτελουμένας σκιὰς ἀπὸ τῶν σωμάτων; . . . αὗται τοίνυν, ἐπειδὰν ἀποθάνωμεν, κατηγοροῦσί τε καὶ καταμαρτυροῦσι καὶ διελέγχουσι τὰ πεπραγμένα ἡμῖν παρὰ τὸν βίον, καὶ σφόδρα τινὲς αὐτῶν ἀξιόπιστοι δοκοῦσιν ἅτε ἀεὶ ξυνοῦσαι καὶ μηδέποτε ἀφιστάμεναι τῶν σωμάτων. 12. *ὁ δ' οὖν Μίνως ἐπιμελῶς ἐξετάζων ἀπέπεμπεν ἕκαστον ἐς τὸν τῶν ἀσεβῶν χῶρον δίκην ὑφέξοντα κατ' ἀξίαν τῶν τετολμημένων . . . .*

In capite 13 Dionysius tyrannus a Dione accusatur et convincitur *ὑπὸ τῆς σκιᾶς*.

Catapl. c. 13:

Κλωθώ: Παῦσαι ἀπειλῶν, ἀλλὰ ἔμβηθι· καιρὸς ἤδη σοι ἁπάντων ἐπὶ τὸ δικαστήριον.

Μεγαπένθης: Καὶ τίς ἀξιώσει κατ' ἀνδρὸς τυράννου ψῆφον λαβεῖν;

Κλ.: Κατὰ τυράννου μὲν οὐδείς, κατὰ νεκροῦ δὲ ὁ Ῥαδάμανθυς . .

Ibid. c. 18:

Μίκυλλος: Ἀδικεῖς, ὦ Χάρων, ἕωλον ἤδη νεκρὸν ἀπολιμπά-

νων. ἀμέλει γράψομαί σε παρανόμων ἐπὶ τοῦ Ῥαδαμάνθυος.

Ibid. c. 23:

Ἑρμῆς: Παράλαβε τούτους, ὦ Τισιφόνη, τέτταρας ἐπὶ τοῖς χιλίοις.

Τισ.: Καὶ μὴν πάλαι γε ὁ Ῥαδάμανθυς οὗτος ὑμᾶς περιμένει.

Ῥαδάμανθυς: Πρόσαγε τούτους, ὦ Ἐρινύ· σὺ δέ, Ἑρμῆ, κήρυττε καὶ προσκάλει.

Κυνίσκος: Ὦ Ῥαδάμανθυ, πρὸς τοῦ πατρὸς πρῶτον ἐμὲ ἐπίσκεψαι παραγαγών.

Ῥαδ.: Τίνος ἕνεκα;

Κυν.: Πάντως βούλομαι κατηγορῆσαί τινος ἃ συνεπίσταμαι πονηρὰ δράσαντι αὐτῷ παρὰ τὸν βίον. οὐκ ἂν οὖν ἀξιόπιστος εἶην λέγων, μὴ οὐχὶ πρότερον αὐτὸς φανεὶς οἷός εἰμι καὶ οἷόν τινα ἐβίωσα τὸν τρόπον.

Ῥαδ.: Τίς δὲ σύ;

Κυν.: Κυνίσκος, ὦ ἄριστε, τὴν γνώμην φιλόσοφος.

Ῥαδ.: Δεῦρ' ἐλθὲ καὶ πρῶτος εἰς τὴν δίκην κατάστηθι. σὺ δὲ προσκάλει τοὺς κατηγόρους.

Cum nemo eum accusare conetur, pergit cap. 24:

Ῥαδ.: ἀπόδυθι δέ, ὅπως ἐπισκοπήσω σε ἀπὸ τῶν στιγμάτων.

Κυν.: Ποῦ γὰρ ἐγὼ στιγματίας ἐγενόμην;

Ῥαδ.: Ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει.

Κυν.: Ἰδού σοι γυμνὸς παρέστηκα . . .

Ῥαδ.: Καθαρὸς ὡς ἐπίπαν οὑτοσὶ πλὴν τούτων τῶν τριῶν ἢ τεττάρων ἀμαυρῶν πάνυ καὶ ἀσαφῶν στιγμάτων. Καίτοι τί τοῦτο; ἴχνη μὲν καὶ σημεῖα πολλὰ τῶν ἐγκαυμάτων, οὐκ οἶδα δὲ ὅπως ἐξαλήλιπται, μᾶλλον δὲ ἐκκέκοπται· πῶς ταῦτα, ὦ Κυν., ἢ πῶς καθαρὸς ἐξ ἀρχῆς ἀναπέφηνας;

Interroganti ita Rhadamantho Cyniscus respondit se non semper fuisse philosophum atque ex priore aetate remansisse illa *στίγματα*.

Ῥαδ.: Ἀλλ' ἄπιθι ἐς τὰς Μακάρων νήσους τοῖς ἀρίστοις συνεσόμενος, κατηγορήσας γε πρότερον οὗ φὴς τυράννου. ἄλλους προσκάλει.

25. Μίκυλλος: καὶ τοὐμόν, ὦ Ῥαδ., μικρόν ἐστι καὶ βρα-

χείας τινὸς ἐξετάσεως δεόμενον. πάλαι γοῦν σοι καὶ γυμνός εἰμι, ὥστε ἐπισκόπει.

Ῥαδ.: Τίς δὲ ὢν τυγχάνεις;

Μίκ.: Ὁ σκυτοτόμος Μίκυλλος.

Ῥαδ.: Εὖ γε, ὦ Μίκυλλε, καθαρὸς ἀκριβῶς καὶ ἀνεπίγραφος· ἄπιθι καὶ σὺ παρὰ Κυνίσκον τουτονί. τὸν τύραννον ἤδη προσκάλει.

Ἑρμῆς: Μεγαπένθης Λακύδου ἡκέτω. ποῖ στρέφῃ; πρόσιθι· σὲ τὸν τύραννον προσκαλῶ. πρόβαλλ' αὐτόν, ὦ Τισιφόνη.

Ῥαδ.: Σὺ δέ, ὦ Κυν., κατηγόρει καὶ διέλεγχε ἤδη· πλησίον γὰρ ὁ ἀνήρ . . .

26. Κυν. accusat deinde tyrannum et pergit: καὶ ταῦτα ὅτι μὴ ἄλλως κενή τίς ἐστι κατ' αὐτοῦ διαβολή, αὐτίκα εἴσῃ προσκαλέσας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ πεφονευμένους· μᾶλλον δὲ ἄκλητοι, ὡς ὁρᾷς, πάρεισι καὶ περιστάντες ἄγχουσιν αὐτόν. . . . . .

Ῥαδ.: Τί πρὸς ταῦτα φῄς, ὦ μιαρὲ σύ;

Μεγ.: Τοὺς μὲν φόνους εἴργασμαι οὓς λέγει, τὰ δ' ἄλλα πάντα . . . . Κυν. μου κατεψεύσατο.

Κυν.: Οὐκοῦν καὶ τούτων, ὦ Ῥαδ., παρέξω σοι μάρτυρας.

Ῥαδ.: Τίνας τούτους λέγεις;

Κυν.: Προσκάλει μοι, ὦ Ἑρμῆ, τὸν λύχνον αὐτοῦ καὶ τὴν κλίνην· μαρτυρήσουσι γὰρ αὐτοὶ παρελθόντες, οἷα πράττοντι συνηπίσταντο αὐτῷ.

Ἑρμ.: Ἡ Κλίνη καὶ ὁ Λύχνος ὁ Μεγαπένθους παρέστω . . . .

Ῥαδ.: Εἴπατε οὖν ὑμεῖς ἃ συνεπίστασθε Μεγαπένθει τούτῳ.

Edicunt tum testes, quamquam primo omnia quidem turpia illa, quae viderant, Rhadamantho enarrare veriti.

28. Ῥαδ.: Ἄλις ἤδη τῶν μαρτύρων· ἀλλὰ καὶ ἀπόδυθι τὴν πορφυρίδα, ἵνα τὸν ἀριθμὸν ἴδωμεν τῶν στιγμάτων. παπαῖ, ὅλος οἵτος πελιδνὸς καὶ κατάγραφος, μᾶλλον δὲ κυανός ἐστιν ἀπὸ τῶν στιγμάτων.

Deliberatur denique de puniendi genere.

Ver. hist. II, 6 sqq.:

. . . προϊόντες δὲ διὰ λειμῶνος εὐανθοῦς ἐντυγχάνομεν τοῖς φρουροῖς καὶ περιπόλοις, οἱ δὲ δήσαντες ἡμᾶς ῥοδίνοις στεφάνοις — οἵτος γὰρ μέγιστος παρ' αὐτοῖς δεσμός ἐστιν — ἀνῆγον ὡς τὸν ἄρχοντα, παρ' ὃν δὴ καθ' ὁδὸν ἠκούσαμεν ὡς ἡ

μὲν νῆσος εἴη τῶν Μακάρων προσαγορευομένη, ἀρχὸς δὲ ὁ Κρῆς Ῥαδάμανθυς. καὶ δὴ ἀναχθέντες ὡς αὐτὸν ἐν τάξει τῶν δικαζομένων ἔστημεν τέταρτοι . . . 10. τέταρτοι δὲ ἡμεῖς προσήχθημεν, καὶ ὁ μὲν ἤρετο τί παθόντες ἔτι ζῶντες ἱεροῦ χωρίου ἐπιβαίημεν· ἡμεῖς δὲ πάντα ἐξῆς διηγησάμεθα. οὗτος δὴ μετασησάμενος ἡμᾶς ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐσκέπτετο καὶ τοῖς συνέδροις ἐκοινοῦτο περὶ ἡμῶν· συνήδρευον δὲ ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Ἀριστείδης ὁ δίκαιος . . ὡς δὲ ἔδοξεν αὐτῷ, ἀπεφήνατο τῆς μὲν φιλοπραγμοσύνης καὶ τῆς ἀποδημίας, ἐπειδὰν ἀποθάνωμεν, δοῦναι τὰς εὐθύνας, τὸ δὲ νῦν ῥητὸν χρόνον μείναντας ἐν τῇ νήσῳ . . ἀπελθεῖν . . . 11. τοὐντεῦθεν ἡμῖν αὐτομάτων τῶν στεφανῶν περιρρυέντων ἐλελύμεθα.

Iup. conf. 18 et Luciani qui fertur de luctu libellus c. 6 nihil iam praebent novi: quare eos commemorasse satis habeo.

E locis quos attuli de mortuorum dialogo XXX. iam breviter egi: iudicantem vidimus Minoem, qui in Necyomantia quoque arbitri fungitur officio sedens in alto throno et ministris adiutoribusque stipatus. Qui autem ad eum ducuntur cuiusvis generis flagitiosi, ut damnentur, catena longa ne possint effugere, sunt devincti. Et maxime nostra interest vel in beatorum insulis, accusatos nondum mortuos fuisse religatos, non ferreis quidem catenis, sed *ῥοδίνοις στεφάνοις, οἵτος γὰρ μέγιστος παρ' αὐτοῖς δεσμός ἐστιν.* Nam rosarum coronas idem significare quod rosarum serta („Rosenkette, Guirlande"), et eo, quod eis rei vinciri poterant et vocibus *δήσαντες, δεσμός, αὐτομάτων τῶν στεφανῶν περιρρυέντων ἐλελύμεθα* satis clare demonstratur. Neque miramur, quod rosarum molles catenae in Elysiis campis adhibebantur. Lucianus enim coronis beatorum munus adhuc inauditum vinciendi accusatos viventes quidem attribuit.[1])

Sed pergamus in explicanda Necyomantiae narratione: *καὶ ἠκούσαμεν τῶν ἀπολογουμένων· κατηγόρουν δὲ αὐτῶν καινοί τινες καὶ παράδοξοι ῥήτορες.* Iam in novam terram sumus delati: rhetores enim, qui accusabant et accusati, qui sese defendebant, nobis adhuc ignoti erant; nisi forte Critonis locum

[1]) Legi apud Persas quoque daemonem animam catena vinctam ad Cinvat pontem quem vocant ducere ante iudices (N. Söderblom l. s. p. 89): 'le démon Vizarəša amène enchaînée l'âme pêcheresse'.

p. 54 B iterum vis afferre, ubi quasi nascentem commemorari defensionis notionem suspicati eramus. Et fuerunt *καινοί τινες καὶ παράδοξοι* oratores, nam hominum umbras contra ipsos in iudicio dicere, ut convincantur, nemo exspectaverit. Sed quia corpora semper secutae erant, optime quid peccaverint singuli mortales possunt scire.[1]) Quarum testimoniis nixus Minos, postquam omnia diligentissime perpendit, sceleratos, ut poenam facinorum subeant, ad impiorum iubet ire regionem. Maxime autem idoneus, quo singula planius intellegantur, alter dialogus, Cataplus titulo instructus, nobis auxilio venit: ante Rhadamanthi tribunal quam celerrime Tisiphone comitante animae coguntur. Postquam eo venere Mercurius praeco singulas vocat ante sellam, ut in eos inquiratur. Ac prodeunt accusatores, si quidem sunt, quorum intersit enumerare, quanta vitia fuerint eius, quem damnaturus est Rhadamanthus. Sed cum iudex vel apud inferos ne decipiatur cavere oporteat alia praeterea eaque meliore utitur cognoscendi ratione; nam contemplando ipsam animam vestimentis nudatam, notis cicatribusque impressis praeditam, utrum verum dixerit necne certissima acie oculorum explorat. Nec quomodo accusatorem dicentem, reum sese defendentem, testes illum coarguentes sibi finxerit Lucianus, ut comperiamus auxiliis destituimur. Cyniscus philosophus longam habet orationem contra Megapenthem tyrannum, qui Rhadamantho ex eo quaerenti, nonne se ea omnia commisisse confiteatur, respondet caedes quidem se fecisse non negare, reliqua vero se negare, dum Lectus et Lucerna testes advocentur, ut reum prorsus convincant.[2]) Iudex denique ne quid omittat, Megapenthis convictam animam permultis notis quasi obsitam diligenter inspicit, quo testes

[1]) Vide Ernestum Maass. qui Orph. p. 218 adnot 22 egit de hoc Luciani loco: 'Bei den Neugriechen ist der Schatten soviel als der Genius des Menschen (B. Schmidt, Volksleben der N.-Gr. p. 181 sqq.). Nach Herbert Spencer (Prinzipien d. Soziologie I pag. 143 sqq.) hat zum Instandekommen der Vorstellung vom zweiten Ich (Seele) bei primitiven Völkern auch der Umstand mitgewirkt, daß der Körper einen Schatten wirft. So trifft der Satiriker mit dem Philosophen zusammen. Spencer weiß interessante Beispiele aus dem Völkerleben anzuführen'.

[2]) An hoc ex comoedia tractum est, in quam Aristophanes Vesp. 963 *τὴν τυρόκνημαν* tamquam testem induxit? Similes testes describuntur Lectus et Porta a Catullo 6, 6 et 67, in Anthol. Pal. V, 7.

edixisse verum comprobetur. Haec fere sunt, quae ad depingendam iudicii illius imaginem ex Luciani dialogis possumus colligere. Apud eum quoque post mortem instituitur iudicium, quod facete cum aliis locis tum Verae historiae c. 10. eo demonstravit auctor ille satiricus, quod neminem nisi mortuum ante ipsius tribunal citari Rhadamanthum fecit dicentem, quia Lucianus ipse una cum comitibus ad beatorum insulam pervenerat ibique ad Iovis filium erat deductus, sed quod vivus adhuc illum locum adierat, nondum de eo sententiam ferre poterant iudices. Plane eodem spectant Procli verba (II p. 155): *διὰ τί δὲ σημεῖον τούτῳ* (scil. *τῷ Ἠρί*) *περιάπτειν οὐκ ἐθέλουσιν οἱ δικασταί, δῆλον· οὐ γὰρ εἶχεν αὐτῷ πέρας ὁ βίος, ἡ δὲ κρίσις ἦν μετὰ τὸν βίον καὶ ἡ τῶν σημείων περίθεσις μετὰ τὴν κρίσιν.*

Quid autem, quod aliud in Orci quadam regione non certius definita Minois auctoritate, aliud in Elysiis campis Rhadamantho moderante iudicium fieri videtur? Nonne a se ipso dissentit Lucianus? Sane quidem, sed levior est dissensus, qui licentia poetica huic quoque auctori concedenda facile explicetur. Attamen rationem quandam subesse iudicio in beatorum sedibus collocato inde apparet, quod Rhadamanthum ibi habitare et piorum tenere regnum iam supra p. 3 adn. 2 audivimus. Et profecto nunc quidem in sanctorum conventu de hominibus ad eum perductis iudicat pro meritis eorum, cum Pindari Rhadamanthus in eadem regione sedens minime tali munere fungeretur. Neque solum inter mortuos ipsos de cuiusvis generis discordiis fert sententiam, ut ex Ver. hist. c. s. posset concludi (*ἦν δὲ ἡ μὲν πρώτη δίκη περὶ Αἴαντος . . εἴτε χρὴ συνεῖναι αὐτὸν τοῖς ἥρωσι εἴτε καὶ μή . . δευτέρα δὲ ἦν κρίσις ἐρωτική, Θησέως καὶ Μενελάου περὶ τῆς Ἑλένης διαγωνιζομένων . . τρίτη δ'ἐδικάσθη περὶ προεδρίας Ἀλεξάνδρῳ . . καὶ Ἀννίβᾳ*), sed eidem facinorum rationem dare coguntur, qui vita discesserunt, ut ex ipso *τῆς ἀληθοῦς ἱστορίας* Luciano comperimus, quem post mortem propter iter in Elysium factum et *φιλοπραγμοσύνην* se puniturum esse minatus erat iudex inexorabilis. De eiusdem inquirendi et damnandi studio plura proferre opus non erit, quoniam in dialogi Cataplus qui inscribitur locis tractatis, ubi de rebus tantum apud superos gestis ferebat sententiam,

satis accurate est descriptum. Haud secus ac Rhadamanthus Minos frater in eodem tribunali duplici fungitur officio: item et inter ipsos mortuos dicit ius, ut Homeri (Od. XI, 567 sqq.) reminiscamur; hoc facit dial. mort. XII, ubi Alexander et Hannibal de principatu certantes a Minoe petunt, ut censeat, utri sit attribuendus. Praeterea arbiter institutus est iudicii quod dicimus ultimi. Frustra autem explicare conaberis, cur modo Minoi, modo Rhadamantho Lucianus tradiderit animas condemnandas.

Restat, ut de synedris in Vera historia laudatis pauca moneam, qui hoc uno loco nobis occurrunt *ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Ἀριστείδης ὁ δίκαιος*, quibuscum aliquamdiu collocutus erat Rhadamanthus, priusquam quid sibi videretur de Luciano comitibusque eius pronuntiaret. Sed difficile erit diiudicatu, utrum de Platonis heroibus, qui propter vitam iuste peractam apud inferos quoque arbitrorum munere ornati esse dicebantur, cogitaverit auctor, an de Graecorum vulgari more constituendi concilii.

Minos igitur et Rhadamanthus nominantur iudices, deest autem Aeacus tertius collega. Qui quamquam saepissime apud Lucianum in inferorum regno commemoratur, tamen nullo loco eadem qua in Platonis dialogis fruitur auctoritate. Quomodo id factum sit postea, omnibus scriptoribus, qui quidem ad nostram spectent quaestionem absolvendam, perlustratis capite seorsum scripto disseremus.

Mortui postquam ad arbitros pervenere Tisiphone duce, ut iam diximus, ex ordine, quod sit nomen quidque peccaverint interrogantur. Nam ignoti sunt usque ad illud tempus Minoi et Rhadamantho. Quod etiam Plato expressis verbis exposuerat Gorgia 524 B: *Ῥαδ. Θεᾶται ἑκάστου τὴν ψυχήν, οὐκ εἰδὼς ὅτου ἐστίν*, ne corrumpantur alicuius gratia iudices; quaeri aliquid ex defunctis non dixerat philosophus. Accusatis deinde aut ipsorum indicio aut notis animae impressis quas iam apud Platonem et Plutarchum inveneramus aut testium ut umbrae lectus lucernae orationibus, ut sese defenderent, permittebatur: id quod sequitur ex Rhadamanthi verbis Catapl. 26: *Τί πρὸς*

ταῦτα φῄς, ὦ μιαρὲ σύ; Defensorum autem partes patronos suscepisse ad hoc ipsum destinatos nusquam apparet.[1])

Sed mihi satis multa verba fecisse videor de Luciani opinionibus. Ac facile, quem prae reliquis secutus sit, cognoscimus, cum iam in singulis explicandis iterum iterumque Platonis nos admonuerit. Ne omnia repetam, hoc unum liceat afferre philosophos apud utrumque nancisci clementissimos iudices. Ita Cyniscus ad Elysium mittitur, quod philosophiae sese vivus dederat: ἐπειδὴ τάχιστα φιλοσοφεῖν ἠρξάμην, κατ' ὀλίγον ἁπάσας τὰς κηλῖδας τῆς ψυχῆς ἀπελουσάμην. Quocum loco comparandus est Platonis Phaed. p. 114 C, Phaedr. 249 A; imprimis autem Gorg. p. 526 C: ἐνίοτε δ'ἄλλην εἰσιδὼν ὁσίως βεβιωκυῖαν καὶ μετ' ἀληθείας ἀνδρὸς ἰδιώτου ἢ ἄλλου τινός, μάλιστα μέν, ἔγωγέ φημι, . . φιλοσόφου τὰ αὑτοῦ πράξαντος καὶ οὐ πολυπραγμονήσαντος ἐν τῷ βίῳ, ἠγάσθη καὶ ἐς Μακάρων νήσους ἀπέπεμψεν (scil. ὁ Ῥαδ.). Lucianus autem φιλοπραγμοσύνης ἕνεκα damnabitur post mortem (Ver. hist. l. s.).

Sed alterius quoque fontis vestigia exstant clarissima. Hausit enim Lucianus, id quod mirum non est, saepissime ex Graecorum more instituendi iudicia. Ita Micyllus Charoni minatur: ἀμέλει γράψομαι σε παρανόμων ἐπὶ τοῦ Ῥαδαμάνθυος et Menippi sunt verba (c. 2): . . . οὐ δὲ τὰ ἀπόρρητα ἐξαγορεύειν, μὴ καί τις ἡμᾶς γράψηται γραφὴν ἀσεβείας ἐπὶ τοῦ Ῥαδ., adhibens eam qua accusandi formula utebantur Athenienses.[2]) Deinde reus sese ipse defendit.[3]) Quodsi Cyniscus alienum accusat eorumque partes, qui a Megapenthe violati erant, suscipit, hoc quoque erat Atheniensium,[4]) et tyranni verba καὶ τίς ἀξιώσει κατ' ἀνδρὸς τυράννου ψῆφον λαβεῖν item spectant

[1]) Antiquitatis gentium praeter Graecos et Romanos Aegyptii tale iudicium soli sibi finxerunt. Mortui sese ipsi defendebant, cum in Veritatis aulam pervenissent; interdum etiam Thoth fuit patronus; vide Wiedemannum l. s. p. 131 et Brugschium, Religion u. Mythologie der alten Äg. p. 465. Neque scio an similis sententia subaudiatur apud Plutarchum Cat. mai. 23.

[2]) Vide Schoemannum et Lipsium, Griech. Altertümer I² 528 et locos in glossariis collatos. Γραφὴ παρανόμων l. c. p. 411 et 525 res est plane alia atque formula supra exscripta.

[3]) l. c. p. 510 et 531.

[4]) l. c. p. 526.

ad iudicium Atticorum.[1]) Reliquum est, ut ad explicanda verba (Men. 11) *παράδοξοι ῥήτορες* rhetorum quanta auctoritas fuerit in causis agendis recordemur: iam omnia intellegentur facillime.[2]) Lucianus igitur Platonis locos usu iudiciali Atticorum addito auxit de suo more satirico.

Quae restant testimonia, quibus Platonem posteriores esse secutos demonstratur, haud ita sunt multa. Ac Porphyrius in Vita Plotini (c. 22) in carmine ad Plotinum misso inde a v. 9 exhibet haec:

. . . *μεθ' ὁμήγυριν ἔρχεαι ἤδη*
δαιμονίην, ἐρατοῦσιν ἀναπνείουσαν ἀήταις
ἐνθ' ἔνι μὲν φιλότης . . . .
χρυσείης γενεῆς μεγάλου Διὸς ἦχι νέμονται
Μίνως καὶ Ῥαδάμανθυς ἀδελφεοί, ἦχι δικαῖος
Αἰακός . .

Explicatur deinde hoc carmen: ad beatorum coetum eum pervenisse, ibique regnare amicitiam desiderium laetitiam, amorem ex deo suspensum, *τετάχθαι δὲ καὶ τοὺς λεγομένους δικαστὰς τῶν ψυχῶν, παῖδας τοῦ θεοῦ, Μίνω καὶ Ῥαδάμανθυν, πρὸς οὓς οὐ δικασθησόμενον οἴχεσθαι* (scil. *τὸν Πλωτῖνον*), *συνεσόμενον δὲ τούτοις, οἷς καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ ἄριστοι.*

Tres iudices in beatorum insulis sunt collocati, ad quos Plotinus pervenit, non ut de eo ferant sententiam, sed ut una cum iis summa felicitate fruatur.[3])

Minus apta deinde, quibus novum aliquid edoceamur, sunt Hippolyti verba (Ref. omn. haer. I, 19 p. 34 ed. Duncker et Schneidew.)[4]): *οἱ δὲ (Πλατωνικοὶ) ἀθάνατον αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) εἶναι λέγοντες μάλιστα ἐκείνοις ἰσχυρίζονται, (ἐν) ὅσοις καὶ κρίσεις φησὶν εἶναι μετὰ τελευτὴν καὶ ἐν Ἅιδου δικαστήρια καὶ τὰς*

[1]) l. c. p. 532: „Die Abstimmung geschah in der Rednerzeit mit *ψῆφοι*, bronzenen Scheiben, welche dann in eine Urne gelegt wurden".

[2]) Ceterum optime quadrat ad has opiniones explanandas, quamquam ibi de ipso iudicio non agitur, alter Necyomantiae locus c. 19, ubi tota Atheniensium ecclesia translata est ad inferos.

[3]) Vide Luciani Catapl. l. s.: . . *ἄπιθι ἐς τὰς Μακάρων νήσους τοῖς ἀρίστοις συνεσόμενος.* Vide etiam Platonis Apol. p. 41 A sq.

[4]) Vide Dielsium Doxogr. gr. p. 568, 15.

μὲν ἀγαθὰς ἀγαθοῦ μισθοῦ τυγχάνειν, τὰς δὲ πονηρὰς ἀκολούθων δικῶν.

Multo clariora qui proximus est praebet Platonis vestigia Themistius orator, qui in threno patri dedicato, quam sortem ille nanctus sit, sibi fingit verbis his (orat. XX, p. 234 C ed. Dind.): . . *καὶ σὲ ἐδέξατο ἱερὰ θεῶν ἀγορὰ καὶ δῆμος ἀγαθῶν δαιμόνων, εὐφημοῦντές τέ σε καὶ προαπαντῶντες καὶ ἀσπαζόμενοι*[1]) *ὅτι σφίσιν ἐκτελέσας τὸ χρέος οὗ σε ἕνεκα ἔστειλαν ἐπὶ γῆς, ἀκήρατος εὐθὺς καὶ ἅγιος ἐπανῆκες, καὶ οὔτε ἔμπροσθεν οὔτε ὄπισθεν μόλυσμα ἐξηῦρεν ὁ Ῥαδάμανθυς ἢ ὁ Μίνως ἐνσεσημασμένον τε καὶ ἐγγεγραμμένον τῇ ψυχῇ, καθίζουσί σε παρὰ Σωκράτει καὶ Πλάτωνι . . .*

Hoc quoque loco iudicium fieri in Elysiis campis ex ineunte descriptione apparet, nam in alia regione *ἡ ἱερὰ θεῶν ἀγορὰ καὶ ὁ δῆμος ἀγαθῶν δαιμόνων* esse non potest. Cur autem transtulerint et Porphyrius et Themisthius inferorum tribunal ad beatorum insulas, ex eo mihi interpretandum esse videtur, quod homines, de quibus agitur, tam sancte pieque vixerunt, ut statim ad loca illa splendidissima pervenirent ibique demum iudices, si opus erat, convenirent.[2]) Minos deinde et Rhadamanthus, neque enim adest Aeacus, patrem Themistii aeque atque Platonis arbitri subtilissime contemplantur, sed nullas inveniunt cicatrices, quo fit, ut summis eum praemiis ornent.

Ultimo denique loco Claudiani (V, 476 sqq.) versus proferam, quorum quamquam prior pars ex Romanorum opinionibus fluxit, tamen si quae sequuntur diligenter perspexeris, in hunc testimoniorum contextum deberi recipi non negabis:

---

[1]) De animis mortuorum salutatis adi Ernestum Maass l. s. p. 219 sqq. et Hyperidis Epit. exeuntem, ubi Leosthenes ab heroibus salutatur, et Carm. epigr. 1109 (ed. Buecheler = CIL VI, 21521) v. 34: 'omnis caelicolum te chor(us) ex(cipiet)'.

[2]) Similiter dictum in epigrammate modo citato v. 17 sqq.:

ne pietas ignara superna sede receptum
lugeat . . .
non ego tartareas penetrabo tristis ad undas . . .
nam me sancta Venus sedes non nosse silentum
iussit et in caeli lucida templa tulit.

Quaesitor[1]) in alto
conspicuus solio pertemptat crimina Minos
et iustis dirimit sontes. Quos nolle fateri
viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris.
Nam iuxta Rhadamanthus agit. Cum gesta superni
curriculi totosque diu perspexerit actus
exaequat damnum meritis et muta ferarum
cogit vincla pati. Truculentos ingerit ursis
praedonesque lupis; fallaces vulpibus addit.
. . . . .
Quos ubi per varias annis ter mille figuras
egit Lethaeo purgatos flumine, tandem
rursus ad humanae revocat primordia formae.

Iam de Pindari et Platonis iudicio cum metempsychosi coniuncto antea ita disputavimus, ut nemini, quin inde hauserit hic poeta dubium esse possit. Nam quae ibi haud ita clare exposita erant, animarum peregrinationes ab iudicibus et puniendi et purgandi causa imponi, hic planis et expressis verbis optime vides descripta in versibus modo allatis.

VI

Animarum transeundi rationibus neglectis, quas sectarum quarundam proprias sententias fuisse audimus, a Graecorum tragicis et oratoribus, quos nunc mihi proposui tractandos, aeque atque a Platone notionem iudicii inferni crederes ita esse excultam, ut ab eis quoque, quas quisque vivus impune iniurias commisisset, earum mortuum apud inferos poenam daturum esse iudicibus ibi institutis affirmaretur. Sed mirum, quam pauca huius opinionis vestigia in tanta et fabularum et orationum, quae quidem integrae aut ex parte adhuc servatae sint, multitudine inveniantur.

Iam Aeschyli locos proferam. In Supplicibus Danaus eum, qui mulierem invitam patre invito in matrimonium duxerit, in Orco gravissimam poenam subiturum esse exponit v. 218 sqq. (Kirchh.):

[1]) Verbum depromptum e Verg. Aen. VI, 432.

οὐδὲ μὴν Ἅιδου θανὼν
φύγῃ ματαίων αἰτίας πράξας τάδε·
κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,
Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας.

Et Furiarum chorus cantat in Eumenidum v. 263 sqq.:

καὶ ζῶντα σ' ἰχνάσας ἀπάξομαι κάτω
ἵν' ἀντιποίνους τίνῃς ματροφόνας δύας·
ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἥλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν
ἢ τοκέας φίλους
ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.
μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονός,
δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

A Platonis sententiis quam alienae sint Aeschyli statim apparet. Neque enim Aeacum Minoem Rhadamanthum commemorat, sed *Ζεὺς ἄλλος* (i. e. *τῶν κεκμηκότων* v. 145) *δικάζει*, quo fit, ut Pindari reminiscamur, qui simillime de mortuorum iudicio disseruerat neque de singulis certiores nos fecerat. Aeschyli Iuppiter Tartareus idem est atque Ἅιδης, qui *δελτογράφῳ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί* („Allsehend bucht er jede Schuld" ut vertit de Wilamowitz). Quid significent haec verba quaeramus necesse est, nam nihil antea de tali ratione cognoscendi vitia scriptum vidimus. Sed ne sententiarum contextus nimia locorum multitudine turbaretur, postea capite selecto planius egi de hac re.

Haec sunt, quae de Aeschyli iudicio possumus disputare.[1])

---

[1]) Vide G. Iwanowitsch, Opiniones Homeri et tragicorum Graecorum de inferis (Berl. Stud. für klass. Phil. u. Archäol. XVI, 1 p. 42 43): 'Ut eius modi enim persuasiones (dicit iudicii) exoriantur, umbrarum condicio ea arbitranda est, in qua quin insit vitae vigor conscientiaeque vis absoluta non dubitetur. A cuius condicionis sententia quantopere abhorruerit Aeschylus perfacile inde intellegitur, quod eius quoque opinionis praebet indicia, qua mortui quovis sensus modo carere etiam tum existimabantur, velut frg. 220 (N^2):

ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ et frg. 259:
καὶ τοὺς θανόντας οὔτ' ἔχειν εὐεργετεῖν

Cur autem plura non exstent testimonia, e quibus animarum post mortem condiciones melius cognoscantur, pulcherrime Erwinus Rohde II p. 232 sq. explanavit, cum exponeret Aeschylum omnino sibi finxisse rarissime cogitationes de eis, quae post mortem essent, atque opiniones de animarum natura protulisse inter se diversissimas.

Sophocles deinde propriis planisque verbis nusquam de mortuorum iudicio loquitur.[1]) Quare ad Euripidem transeamus, cuius Melanippes frg. 506 (N [2]) haud scio an dignum sit, quod adhibeatur:

δοκεῖτε πηδᾶν τἀδικήματ' εἰς θεοὺς
πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
γράφειν τιν' αὐτά, Ζῆνα δ' εἰσορῶντά νιν
θνητοῖς δικάζειν; οὐδ' ὁ πᾶς ἂν οὐρανὸς
Διὸς γράφοντος τὰς βροτῶν ἁμαρτίας
ἐξαρκέσειεν οὐδ' ἐκεῖνος ἂν σκοπῶν
πέμπτειν ἑκάστῳ ζημίαν.

Horum enim versuum testimonio uti liceret ad demonstrandam vim sententiarum de supremo iudicio conceptarum, si modo illuc essent referendi. At valde dubito, num poeta his verbis de ultimo quod dicunt iudicio cogitaverit. Immo in

οὔτ' οὖν κακουργεῖν· ἀμφιδέξιος ἔχει
τῷ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι βροτούς'

et q. s. Similiter Rohdius (p. 232): 'Das Jenseits ist in der Kette dieser Vorstellungen und Bilder nicht ein unentbehrliches Glied . . auf das Gericht wird bisweilen hingedeutet. Aber es bleibt bei dunklen Andeutungen, und neben diesen Hindeutungen auf Rechtsprechung in der Unterwelt, die ein volles Empfinden der Toten voraussetzen, fehlt es nicht an Aussprüchen, die Vorstellungen von einem gefühllosen Dämmerleben der Seele im Hades hervorrufen . . Konsequenz in diesen Dingen darf man eben bei einem nicht theologischen Dichter nicht suchen'.

[1]) Vide Rohdium II p. 233 sq.; Iwanowitschius dicit p. 51: '(Soph.) . . ne poenae quidem persuasionem in medium profert . . Immo ubi eiusmodi significationem exspectamus quaerendo destituimur: non enim post mortem poenam Tiresiam Creonti pro iniuria Antigonae et Polynici illata negatoque dis inferis honore sed brevi praedicit solvendam (Antig. 1064 sqq.) atque Philoctetes superorum carnificibus suis iram imprecari deorum satis habet (Phil. 315 sq.) . . .' et p. 63: 'Praemiorum autem post mortem apud Sophoclem ullam exstare opinionem non potest quantum sciam demonstrari'.

terra Iuppiter homines punire videtur, si recte interpretamur v. 6/7, qui minime spectant ad defunctorum tribunal.[1])

Ut absolvamus poetas, ad fragmentum comici cuiusdam[2]) convertamus:

ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
καὶ γὰρ καθ' Ἅιδην δύο τρίβους νομίζομεν,
μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀσεβῶν ὁδόν . . .
. . . . ἔστι κἀν Ἄιδου κρίσις
ἥνπερ ποιήσει θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
οὗ τοὔνομα φοβερόν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ . . .

Poetam dei iudicantis nomen verecundia commotum silentio praeteriisse suspicari nobis licebit. Concedo vias duas et piorum et impiorum e Platone potuisse sumi, sed plura ex his versibus incertum quo aevo confectis concludere vix poterimus.

Oratorum deinde Atticorum H. Meuss in Fleckeiseni annal. 1889 in disputatiuncula, quae inscribitur „Die Vorstellungen vom Dasein nach dem Tode bei den att. Rednern", p. 801 sqq. omnes huiusmodi sententiae locos contulit, quorum nos eis utamur, qui iudicio post mortem instituendo alludere videntur. Nam Hyperides in epitaphio exeunte viros fortissimos apud inferos praemia nacturos esse sperat (*πλείστης κηδεμονίας ὑπὸ τοῦ δαιμονίου τυγχάνειν*), sed dubium est, num de iudicio cogitaverit. Deinde in oratione contra Timocratem habita Demosthenes, (XXIV, 104) ut capitis ille damnetur suadet Atheniensibus, *ἵν' ἐν Ἅιδου τοῖς ἀσεβέσι ᾖ τοῦτον τὸν νόμον* nefarium quendam, unde eam unam coniecturam potes sumere in Orco segregatos esse pios et impios, aliam nullam. Tamen iudicium fieri de mortuis fuisse ex Demosthenis opinione simillimum est veri, ut quidem videtur Meussio, qui affert Demosth. in Aristog. I § 53: *ὃν οὐδὲ τῶν ἐν Ἅιδου θεῶν εἰκός ἐστι τυχεῖν ἵλεων, ἀλλ' εἰς τοὺς ἀσεβεῖς ὠσθῆναι διὰ τὴν πονηρίαν*

[1]) Vide Rohdium II p. 247 sq. et Iwanowitschium p. 68. Quos ibi affert locos Iw., quibus de poenis vel praemiis post mortem attribuendis obiter agitur, nihil valent ad illustrandam iudicandi rationem.

[2]) Iustinus (de mon. p. 38 D) et Eusebius (praepar. ev. XIII p. 400) Diphilo, Clemens Alex. (Strom. V p. 258, 30) alii Philemoni tribuunt hos versus, vide Kockium CAF II p. 539.

τοῦ βίου et adnotat : „Das setzt den Gedanken eines von den Unterweltsgöttern abgehaltenen Totengerichts voraus“, verbis θεῶν εἰκός ἐστι τυχεῖν ἵλεων nixus, si recte intellego. Sed haec ita accipiantur necesse non est, nam in universum etiam potuit dici de sorte apud inferos hominem scelestum exspectante.[1]) Aeacus Minos Rhadamanthus, ut hoc addam, a Demosthene (de cor. § 127) et Isocrate (Panath. 205) uno tenore nominantur, sed propter id tantum, quod iustissimi et legum peritissimi habebantur heroes.

Nunc ad eos qui iam reliqui sunt transeamus auctores et quam brevissime poterimus, quas de inferno iudicio retinuerint opiniones, perlustremus.

Diodori bibl. V, 79 (ed. Vogel): *Ῥαδάμανθυν δὲ λέγουσι τάς τε κρίσεις πάντων δικαιοτάτας πεποιῆσθαι . . . διὰ δὲ τὴν ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν δικαιοσύνης μεμυθολογῆσθαι δικαστὴν αὐτὸν ἀποδεδεῖχθαι καθ' ᾅδου καὶ διακρίνειν τοὺς εὐσεβεῖς καὶ τοὺς πονηρούς· τετυχέναι δὲ τῆς αὐτῆς τιμῆς καὶ τὸν Μίνω, βεβασιλευκότα νομιμώτατα καὶ μάλιστα δικαιοσύνης πεφροντικότα.*

Apollodori bibl. III, 6 (ed. R. Wagner): *Ῥαδάμανθυς δὲ . . . ἐν Ἅιδου μετὰ Μίνωος δικάζει.*

Philostrati Heroic. XX, 48: . . *ἀλλ' ἐπεὶ τῶν ἡρωικῶν ἡμᾶς λόγων ἐμπέπληκας, τὸ μὲν ὅπως ἀναβεβίωκεν (ὁ Πρωτεσίλεως) οὐκέτ' ἂν ἐροίμην, ἐπειδὴ ἀβεβήλῳ τε καὶ ἀπορρήτῳ φῆς αὐτὸν χρῆσθαι τούτῳ τῷ λόγῳ, τοὺς δὲ Κωκυτοὺς . . καὶ . . τοὺς Αἰακοὺς καὶ τὰ τούτων δικαστήριά τε καὶ δικαιωτήρια . . ἀπαγγελεῖς.*

Eiusdem Vita Apoll. Tyan. III, 25:

οἱ ποιηταὶ . . . τὸν Μίνω . . ἐν Ἅιδου καθίζουσι διαιτᾶν ταῖς ψυχαῖς.

Ibidem VIII, 7, 55: *Ζεὺς . . . Μίνω . . ἀποθανόντα χρυσῷ μὲν σκήπτρῳ ἐτίμησε καὶ δικάζειν ἔταξεν ἐν τῇ τοῦ Ἀϊδωνέως ἀγορᾷ* (quod ex Homero transtulit).

Qui loci videlicet non praebent novos fontes, sed notas adhuc narrationes iterum proferunt. Atque observes quaeso, Aeacum a Philostrato in Heroico semel appellari inferorum iudicem; quod monendum est, quia in Vita Apoll. Tyan. VII, 31, 3 alio ornatus est munere, de quo agam infra p. 93 sqq.

[1]) Vide Dieterichium l. s. p. 137 sqq.

Iulianum denique testem audiamus, qui in convivii p. 313 D (ed. Hertlein)[1]) exhibet haec: *τούτοις* (scil. deis in convivio conversantibus) *ἐπεισέδραμεν Αὐρηλιανὸς ὥσπερ ἀποδιδράσκων τοὺς εἴργοντας αὐτὸν παρὰ τῷ Μίνῳ· πολλαὶ γὰρ αὐτῷ συνίσταντο δίκαι τῶν ἀδίκων φόνων, καὶ ἔφευγε τὰς γραφὰς κακῶς ἀπολογούμενος.* Quod enim a Minoe petitur, ut arceat Aurelianum a convivis, illum iudiciali quodam munere hoc quoque loco fungi statuendum est.

Exspectares titulos sepulcrales posteriorum temporum nobis futuros esse usui. Sed mirum, quam pauca et in tanta epigrammatum varietate exstent iudicii supremi testimonia. Ita Rhadamanthus interdum commemoratur, sed eum defunctorum esse arbitrum his locis non cognoscitur; ut est apud Kaibelium epigr. Gr. 452 (III. saec.): *καὶ ψυχὰς προὔπεμπε, ὅθι ξ[α]νθὸς Ῥαδάμανθυς*[2]) et 1046 (s. II. p. Chr. n.), ubi idem beatorum rex esse putatur v. 47: *ψυχὴ δὲ σκῆπτρον Ῥαδαμάνθυος ἀμφιπολεύει.* Fortasse aliud carmen (Kaib. 514, s. I. fere a. Chr. n. scriptum) in nostrum usum adhibere possumus:

Ἀδίστας Μενέδημος ἔην πόσις· ἴρορε δ' αὖ[τ]άν
Βούτιχος· Ἀιανὴ κρύψε κ[α]ταρθι[μέ]ναν,
τίκτε δ' ἐνὶ κλ[άρ]οις Κερκείνιον· ἐγδὲ Φιλίππου
υἱοῦ τῶν ὁσίων ἀντιάσεν κτερέων.
τοίγαρ Κ[ρ]ηταιεῖ[Ῥ]αδαμάνθυι τοῦτο παρ' Ἅιδᾳ
εἶ[π]εν, ὅτ' ὠδ[ε]ίνων παιδὸς ἔχει χάριτας.

Nam si Rhadamantho in Orco habitanti narravit illa mulier se propter inferias a filio institutas doloribus, quos perpessa esset in puerperio, nunc habere gratias, nescio an sic interpretari liceat haec verba. ut mater filium apud Rhadamanthum laudet eique commendet effectura, ut ille mortuus fruatur iudicis clementia.

Addam praeterea Kaib. n. 215 (I. fere p. Chr. n. saec.).

ἦλυθες εἰς Ἀΐδην ζητούμενος οἷς ἀπέλειπες·
πᾶσι γὰρ ἀλγηδὼν ἐσθλὸς ἀποιχόμενος.

[1]) Vide eiusdem libri p. 312 D, ubi Minos *παιδαρίδιον νεώτερον ἀγῆχε, τὸν δὲ πρεσβύτερον τιμωρίαν ἔπεμψε τίσοντα* et 315 D, ubi Dice et Minos eos intrare prohibent, qui indigni sunt iustorum honore.

[2]) translatum ex Od. IV, 564.

εἰ δέ τις ἐν φθιμένοις κρίσις, ὡς λόγος,[1]) *ἀ(μ)φὶ θανόντων,*
Σώγενες, οἰκήσεις εἰς δόμον εὐσεβέων.

In his versibus ita in universum sunt dicta omnia, ut nihil aliud nisi dubitatione commotum esse eum, qui dedicavit, essetne re vera iudicium aliquod necne apud inferos appareat. Neque etiam hoc (Kaib. 642 v. 7 sqq.; III. vel IV. saec.) plura edocemur epigrammate:

τὴν ψυχὴν ἀπέδωκεν ἐς ἀέρα, σῶμα δὲ πρὸς γῆν.
ἀλλὰ καὶ εὐσεβείης ἔσχεν κρίσιν ἐν φθιμένοισιν
καὶ πάλιν εἶδε τὸ φῶς . . . .[2])

Addam epigrammatis nuperrime editi (Revue des études grecques XVI 1903: Theod. Reinach, Inscriptions grecques p. 182 no. 2. Gizeh, chez un antiquaire. III[e] ou II[e] siècle avant I.C.) v. 3 sq., ubi Sosibius quidam dicit:

Πλούτωνός τε δόμους καὶ Φερσεφόνης [κα]τ' ἀναν(γ)εῖς
Μίνῳ σύνθωκος δ' εἰμὶ παρ' εὐσεβέσιν.

Sosibius igitur vel una cum reliquis iustis Minoem adiuvat iudicantem vel *πάρεδρος* pietatis gratia prope eum reliquosque iustos collocatus est.

Quae tibi omisisse videor carmina, in Romanorum auctorum conspectu invenies tractata. Atque huius seriei explicandae finem faciam, dum Nonni Dionysiacorum locos adiungo:

XIX, 182 sqq. Maron Bacchi auriga animam Staphyli regis Assyriae adloquitur sic:

σήμερον, εἰ Μίνωϊ παρήμενος ἶσα δικάζεις
εἴτε καὶ ἀνθεμόεσσαν ἔχεις Ῥαδαμάνθυος αἰλήν,
Ἠλυσίου λειμῶνος ἐν ἄλσεσιν ἀβρὸν ὀδεύων
185 *κέκλυθι σεῖο Μαρῶνος.*

Ut Maronis reminiscatur Staphylus admonetur, sive est Minois collega et, ut Luciani verbo utar, *παρεδρεύων*, sive in Elysiis

[1]) Vide Aesch. Suppl. 220.

[2]) Fortasse huc referendum est Anthol. Pal. XI, 23 v. 3 sq.:
εἰς ἀΐδην μίαν πᾶσι καταίβασις· εἰ δὲ ταχίων
ἡμετέρη, Μίνω θᾶσσον ἐποψόμεθα.

campis in Rhadamanthi regno versatur. Illum igitur iudicem collocare videtur poeta Tartari nescio quo loco, hunc beatorum facit sedes tenentem. Et in Dionys. XXVII, 75 sqq. Deriades, Hydaspis filius, milites exhortatur, ut aeque atque ipse contemnant Graecorum deos et heroes:

καὶ θρασύν, ὃν καλέουσιν ὁμόγνιον αἷμα Λυαίου
Αἰακὸν οὐρανίοιο Διὸς βλάστημα τοκῆος
Ζῆνι καταχθονίῳ δεδαϊγμένον Ἄϊδι πέμψω·
. . . . .
Δάρδανος ἐκ Διὸς ἔσκε καὶ ὤλετο, καὶ θάνε Μίνως
. . . . .
εἰ δὲ θεμιστεύει καὶ ἐν Ἄϊδι, τίς φθόνος Ἰνδοῖς,
Αἰακὸς εἰ φθιμένοισιν δικάζεται; ἦν ἐθελήσῃ,
κοιρανίην νεκύων ἐχέτω καὶ σκῆπτρα βερέθρου.

Homeri nobis in mentem venit illud θεμιστεύοντα νέκυσσιν quod secutus Nonnus Minoem vult regere apud inferos, cum Aeacus defunctorum tribunali praefectus de rebus in terra male factis instituat quaestiones.

Finito iam hoc conspectu non dubito, quin mihi veniam des, quod ordine temporum tantum observato inde a Graecorum poetis scaenicis collegerim haec testimonia. Nam intra totam seriem modo prolatam, ut simile nunc iudicium atque supra de Platone eiusque imitatoribus instituamus e cognitione, quomodo ex alio alius dependeat et opiniones ab eo receptas novo quodam modo figuraverit et excoluerit, minime fieri potest. Neque enim inter se consentiunt auctores, cum aut deum non nominatum, aut Minoem, aut Rhadamanthum, vel utrumque iudices commemorent, ut omittam Aeacum, de quo infra seorsum me disputaturum esse pollicitus sum. Accedit, quod nullo auxilio, si in rem ipsam accuratius investigaturi sumus, neque posteriorum commentariis neque vasculis pictis adiuvamur.

CAPVT ALTERVM

I

Nunc ad alterum huius dissertationis partem transeamus et Romanorum poetas, quale sibi finxerint ultimum iudicium perlustremus. Nam poetae fere omnes sunt ei qui hanc materiam omnino attigerunt. Cur id mihi evenisse videatur, explicem quam brevissime potero. In ipso enim limine, ut ita dicam, quo ad auctores perducimur, quos nobis tractandos elegimus, statim Ciceroni oratori illi clarissimo occurrimus, qui iudicium post mortem fieri prorsus denegat in Tuscul. disp. I, 6: 'Dic quaeso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus . . . fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus?' quaerit ipse ab Antonio adulescente, qui respondet: 'Adeone me delirare censes, ut ista esse credam?'[1]) Neque aliter Seneca in Consol. ad Marciam XIX, 4: 'Cogita nullis defunctum malis adfici, illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse, nullas imminere mortuis tenebras nec carcerem nec flumina igne flagrantia nec oblivionis amnem nec tribunalia nec reos . . mors dolorum omnium exsolutio est et finis'.[2]) Stoicorum enim et Epicureorum doctrinam

[1]) Vide etiam pro Quint. § 171. — Quomodo se defendant rei apud inferos Cicero l. s. I, 10 exponit; vide infra p. 84.

[2]) Vide eiusdem epist. mor. 24, 18. — Addam etiam Aetnae quod vocatur carminis versus inde v. 74:

haec est mendacis vulgata licentia famae,
vatibus ingenium et hinc audit nobile carmen.

secuti sunt Romanorum tum nobiliores, qui vehementissime contra tale iudicium pugnaverunt, ut ex illis testimoniis licet statuere. Ita Lucretius etiam Epicuri amantissimus omnino non esse inferorum regnum, sed ab anxiis hominibus fictum esse una cum incolis portentisque ibi collocatis contenderat (De rer. nat. III, 978 sqq.). Quamquam ipsum iudicium raro commemorasse videntur Epicurei et Stoici, si in opiniones de vita post mortem agenda invehebantur, nam Lucretius omnino non de eo loquitur, Cicero et Seneca locis tantum allatis, e quibus quasi e derivato fonte haurimus. Attamen unum exstat testimonium non laudatum adhuc satis quantum sciam, Hippolyti ref. omn. haeres. I, 22 (vide Usenerum, Epicurea p. 228.):

αἷμα γὰρ αὐτὰς (τὰς ψυχὰς ὁ Ἐπίκουρος λέγει) εἶναι, οὗ ἐξελθόντος ἢ τραπέντος ἀπόλλυσθαι ὅλον τὸν ἄνθρωπον, ᾧ ἀκολουθεῖ μήτε κρίσεις εἶναι ἐν Ἅιδου μήτε δικαστήρια, ὡς ὅ τι ἂν δράσῃ τις ἐν τῷ βίῳ τούτῳ καὶ διαλάθῃ ἀνεύθυνον εἶναι παντελῶς. Haec verba in hoc sententiarum ordine posita significent necesse est, Epicurum quoque nescio quo librorum loco nunc deperdito iudicium homines manere apud inferos abnuisse. Quod cum ita sit, puto a Romanis, qui ipsi pro ingenio et moribus Graecorum philosophiam receperunt quidem, sed non excoluerunt, has persuasiones esse repudiatas itaque factum, ut poetarum tantum maior pars eaque quasi ornamentis uteretur de mortuorum tribunali opinionibus, quas a Graecis reciperent propriaque ratione ex ipsorum cogitationibus transformarent.

II

Iam ad singulos transeamus, et Horatium primum tractemus, qui quamvis Stoicorum doctrinis ita imbutus esset, ut ep. I, 16, 79 mortem ultimam lineam rerum appel-

plurima pars scenae ac rerumst fallacia vates
sub terris nigros luxerunt carmine manes
atque inter cineres Ditis pallentia regna,
mentiti vates Stygias undasque canesque;
hi Tityon stravere novena in iugera foedum
sollicitant idem te siccum, Tantale, cena
sollicitantque siti; Minos, tuaque, Aeacus in umbris
iura canunt idemque rotant Ixionis orbem.

laret, tamen aliis locis ita, ut modo exposui, poesin exornare non aspernatus est.

Carm. II, 13, 22:

et iudicantem vidimus Aeacum
sedesque discretas piorum . . .

ibid. IV, 7, 21:

cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria . . .

Quae testimonia haud tam longo temporis spatio a Stoica illa sententia distare fastis Horatianorum poematum inspectis facile demonstratur; quare caveamus, ne de opinionibus aetate provecta mutatis cogitemus. Quae tamen his versibus docemur, pauca sunt neque idonea, quae multum valeant ad Romanorum de mortuorum tribunali cognoscendas sententias: Aeacus et Minos haud secus atque apud Graecos arbitrorum tenent locum et qui integros castosque sese servaverunt ornant praemiis, qui flagitiis sese inquinaverunt, subire cogunt poenas gravissimas.

De formulis vero iudicandi, quibus usi sint in Tartaro, si quaerimus destituimur ab Horatio et ab Ovidio, cuius unicus de inferis versus est met. XIII, 25:

Aeacus . . . . . qui iura petentibus illic
reddit . . .

Quare ad Vergilium statim aggrediamur et primum quidem proferamus locos more solito memoratu dignos, deinde de eis, quae insunt, disputemus. Ac scimus Aeneam Sibylla comite ad inferos descendisse ibique diversas Orci regiones permigrasse, ut videret, quae in hoc tam tristi regno gererentur. Postquam enim primum limen transgressus est (VI, 426 sqq.):

Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
infantumque animae flentes, in limine primo
quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos,
abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:

quaesitor Minos urnam movet; ille silentum
consiliumque [1]) vocat vitasque et crimina discit.

Per proxima deinde loca eo pervenit, ubi se via findit in ambas (v. 540):

dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit,
hac iter Elysium nobis, at laeva malorum
exercet poenas et ad impia Tartara mittit.
. . . . .
548 Respicit Aeneas, subito et sub rupe sinistra
moenia lata videt triplici circumdata muro,
. . . . .
566 Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna,
castigatque auditque dolos subigitque fateri,
quae quis apud superos furto laetatus inani
distulit in seram commissa piacula mortem.
570 Continuo sontis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra
intentans anguis vocat agmina saeva sororum.

Neque iam iterum de Vergili Necyia disputandum est, in qua et Stoicorum et Platonis, hoc est Orphicorum et Pythagoricorum doctrinas confluxisse Dieterichius imprimis (l. s. inde a p. 150) et Norden (in Hermae vol. 28 p. 360 sqq.) optime demonstraverunt. [2]) Praeterea quae prolata sunt a viris illis doctissimis, non valent ad quaestionem nostram absolvendam. Mirum vero, quod poeta Minoem et Rhadamanthum diversas regiones fecit habitantes, licet Minois sedes non certius definiatur, ut suum quisque regnum teneat ibique iudicis officium exerceat. Et memorabile est Minoem de eis solum iudicare, qui falso crimine capitis damnati sunt eisque, si re vera insontes interfectos esse cognoverit, attribuere sedes a ceteris defunctorum generibus, quae enumerantur, discretas. [3])

[1]) Sic Norden, l. s. p. 240; concilium traditur.

[2]) Vide etiam Schmekelium, Phil. d. mittl. Stoa p. 451. Nunc adhibendus est Eduardi Norden liber (Vergil, Buch VI) p. 19 sqq.

[3]) Multa disputavere de hoc loco E. Norden (Hermae l. s. p. 373, 388 adnot. 3, p. 314; vide nunc: Vergil, Buch VI p. 11 sq.) et A. Dieterich l. s. p. 151 sqq. Ac mihi persuasit E. Norden, qui quinque mortuorum genera non morte naturali, ut ita dicam, vita excessisse ideoque in regione sita

Sed redeundum est ad v. 432 sq.:

Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes:
quaesitor Minos urnam movet.

Ecce tribunal Romanorum more institutum. Nam quaesitor quaestionibus praeerat, ut ex Vergilii commentatoribus discimus: vide Lydum de mag. I, 25 et Servii comm. ad Aen. VI, 432 „quaesitores sunt, qui exercendis quaestionibus praesunt".[1]) Sed quid sibi volunt verba: „nec vero sine sorte datae, sine iudice sedes?" Servius quidem l. s. explicat: „Sine sorte: sine iudicio, traxit autem hoc ex more Romano: non enim audiebantur causae nisi per sortem ordinatae. nam tempore, quo causae agebantur, conveniebant omnes — unde et concilium ait — et ex sorte dierum ordinem accipiebant, quo post diem tricesimum suas causas exequerentur: unde est urnam movet".[2]) Aliam interpretationem adhibuerunt Ladewig et Schaper in Vergilii carminum editione commentario instructa (ed. XI. a P. Deuticke curata), cum Minoem ex iudicum decuriis eos, qui ad singulas causas destinarentur agendas, urna mota eligere contenderent. Quam sententiam nos quoque probabimus confisi eis, quos iam Heyne in excursu ad Aen. VI. p. 1025 facto locos contulit, qui item ad iudicum sortitionem spectant.[3]) Qua sortitione facta, „silentum consilium vocat, die dicto citat reos ad iudicium, vitasque et

ante Tartarum, 'Rhadamanthi regnum', versari contendit, dum vivendi tempus eis destinatum peregerint. Ei autem, qui falso crimine condemnati praematura morte interierunt, eandem sortem nanciscuntur, sed tum demum, postquam Minos diligentissime novum iudicium de eis instituit, ut cognosceret, utrum rectam sententiam tulissent superi necne. Si iure caesi sunt, opinor, statim ad Rhadamanthum et carceres interiores detruduntur. Sed nondum puniuntur in illa regione ante Tartarum sita sed superorum tantum arbitrio damnati iudicium a Minoe iterum institutum exspectant, dum tempore certo consumpto ad ultimum demum perveniant iudicium. Ἐπιδιακρίνει igitur Minos, quod munus ei iam Plato detulerat.

[1]) Vide Th. Mommsen, Röm. Staatsrecht II, 1² p. 214 cum adnot. 2 et p. 572 adnot. 2; 573 adnot. 1. Vide etiam Ed. Norden, l. s. p. 239/40.

[2]) Vide Iuven. XIII, 4: 'gratia fallaci praetoris vicerit urna'.

[3]) „Minos urnam movet, sortitur iudices. Male hoc ad causarum sortitionem referunt Serv. al. Poterat vel Senecae imitatio errantes revocare: Herc. fur. 731 . . . idem alio loco 578. Apud Propertium quoque, ut videbimus, sedet Aeacus quaesitor et sortitur iudices: IV 11, 19."

crimina discit[1]) audita utriusque partis oratione. Iam Rhadamanthus longe alio loco ac modo constitutus est in Tartaro; non tam iudex aut magistratus, qui quaestionem exercet et causas capitales persequitur, ut Minos; sed qui triumvirorum capitalium more sententias iudicum exequitur, supplicium sumit, et idem de inferioris ordinis hominibus, furti, grassationis, sacrilegii reis cognoscit; itaque tormenta adhibet, scelerum convictos quaestione admota fateri cogit occulto perpetrata." Quae si Heyne l. s. exhibuit, nescio an plura legerit, quam a Vergilio sunt scripta. Nam etsi concedo, Minoem quaesitorem capitales causas persequi, cum de capitis damnatis iterum ferat sententias, tamen non adsentior viro doctissimo, qui Rhadamanthum triumvirorum capitalium more sententias iudicum exequi sibi persuaserat: immo vero Rhadamanthus et iudex est et triumvir capitalis, si eum huius munere vis fungi,[2]) quamquam eo nihil nisi castigandi verbum potest referri.[3]) Minime enim Rhadamanthus supplicium sumit, sed Tisiphone Furia,[4]) et de inferioris ordinis[5]) hominibus nullo versu edocemur; quin etiam qui illic enumerantur scelerati famosissimi sunt in fabulis antiquorum passim commemorati. Quare si de furibus agi exposuit Heyne falsus est, qui nescio an 'furto inani' vocibus ad eam interpretationem adductus sit, quae tamen significant nostro sermone „vergebliche Hinterlist" aut quid tale. Nam Rhadamanthus non subigit fateri fures, qui si soli nominarentur, mirum esset, verum omnino

---

[1]) causas discere item est verbum iuris consultorum proprium, vide Cic. de orat. II, 140, Quintilian. inst. or. prooem. § 22; X, 7, 20; XII, 8, 6.

[2]) Vide Mommsenum l. s. p. 580 sqq.

[3]) Vide Horat. epod. IV, 11: 'sectus flagellis hic triumviralibus'.

[4]) De Rhadamantho et Tisiphone hoc loco aeque atque apud Lucian. Catapl. 23 coniunctis vide Eduardum Norden l. s. p. 268.

[5]) Quod dicit Th. Mommsen l. s. p. 582: "Die Triumvirn haben auch die aufgegriffenen Vagabunden .. abzustrafen" huc non quadrat; neque magis Cic. divin. in Caec. 50: "Vobis tanta inopia reorum est, ut mihi causam praeripere conemini potius quam aliquos ad columnam Maeniam vestri ordinis reos reperiatis"; ad quem locum schol. p. 121 (ed. Orellius): "velut fures et servos nequam, qui apud triumviros c. apud columnam M. puniri solent".

eos homines, qui occulto peccaverunt eoque effecerunt, ut viventes effugerent iudices et apud inferos denique convincerentur.

Redeamus duobus verbis ad Rhadamanthum flagello castigantem. Primus apud Romanos movet tale tormentum, quo reos verum edicere cogat. Nam in Graecorum descriptionibus flagello non opus erat, quoniam mortui cicatricibus animae impressis statim coarguebantur. Contra ab auctoribus, quos nunc tractamus, saepius illud instrumentum commemoratum invenimus sive a Furiis sive ab ipso arbitro adhibitum.

Ita vero iudicandi munus distributum fuisse videtur inter fratres, ut Minos de falso crimine damnatis tantum novas institueret quaestiones, cum Rhadamanthus reliquos mortuos cuiusvis scelerum generis convinceret eisque poenas imponeret acerbissimas. Iuxta autem Tisiphone stat ad nutum intenta, ut statim exerceat supplicia.

Inter Vergilii scripta minora quae feruntur Culicis carmen unum est dignum, cuius habeamus rationem. Culex bestiola a pastore quodam interfecta erat, cum dormientem, ne serpentis appropinquantis morsu necaretur, aculeo e somno excitaret. Insepulta adhuc ad regnum Proserpinae pervenit Alcestide Penelope Eurydice comitibus multaque ibi mala perpetitur. Quae qualia fuerint proxima nocte pastori profundo sopore domito enarrat et queritur, quod ita neglecta sit, ut ne sepeliendi quidem honore ornaretur. Agere autem de hoc carmine nostro loco liceat, etiamsi ineunte carmine legimus:

> Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia
> atque ut araneoli tenuem formavimus orsum

et si a Maassio (l. s. p. 224 sqq.) fontibus Graecis usum esse auctorem edocemur.

Culex igitur, postquam se ab heroidibus salutatam esse dixit, Eurydice nominata, ut de Orphei ad inferos descensu pauca proferat, commovetur v. 270 sqq.:

> audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
> credidit aut ulli Ditis placabile numen,
> nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis . . .

. . . . . nec faciles Ditis sine numine sedes,
iudice, qui vitae post mortem vindicet acta.

Et de se ipsa pergit v. 372 sqq.:

. . . ego Ditis opacos
cogor adire lacus viduos, a, lumine Phoebi
et vastum Phlegethonta pati, quo, maxime Minos,
conscelerata pia discernis vincula sede.
ergo iam causam mortis, iam dicere vitae
verberibus saevae cogunt sub iudice Poenae,
cum mihi tu sis causa mali nec conscius adsis.

Observes velim hic quoque Furias flagellis instructas reum adducere, ut fateatur.[1])

Nunc ad Propertium[2]) convertamus, qui l. II. carm. XX, v. 28 se nunquam amatae obliturum esse confirmat:

Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me vel tragicae vexetis Erinyes, et me
inferno damnes Aeace iudicio.

Adhortatur alio carmine (III, 19) poeta amicam, ne credat virorum libidinem maiorem esse quam mulierum. Quod ut ex fabulis cognoscatur cum aliarum tum Scyllae planius describit fortunam v. 26 sqq.:

pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci,
victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

Praeclarissimum autem iudicii inferni testimonium Proper-

---

[1]) Martialis locus conferendus est (X, 5, 13 sqq.):

Nec finiantur morte supplicis poenae
sed modo severi sectus Aeaci loris,
nunc inquieti monte Sisyphi pressus
. . . . .
delasset omnes fabulas poetarum,
et cum fateri Furia iusserit verum,
prodente clamet conscientia: „Scripsi“

(scil. poeta quidam). Quae hoc iam loco protuli, quia licet non totam praebeant iudicii imaginem, tamen aptissima sunt ad illustrandam convincendi rationem.

[2]) In sequentibus usus sum Rothsteinii editione commentario instructa uberrimo.

tianum est carmen illud IV, 11, ubi Corneliae umbra Paullum coniugem consolatur v. 17 sqq.:

. . . huc non noxia veni:
det Pater hic umbrae mollia iura meae,
aut siquis posita iudex sedet Aeacus urna,
in mea sortita vindicet ossa pila.
Assideant fratres iuxta, Minoia sella,
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe mole vaces, taceant Ixionis orbes
. . . . .
ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
infelix umeros urgeat urna meos.

Sese ipsa defendit Cornelia nullius conscia sceleris v. 45:

Nec mea mutata est aetas, sine crimine tota est:
viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas
nec possis melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas:
turpior assessu non erit ulla meo.

Postquam ad finem duxit defensionem, adicit v. 99:

Causa perorata est: flentes me surgite testes,
dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit: sim digna merendo
cuius honoratis ossa vehantur aquis.

Neminem, qui Propertii elegias perlegerit, poetam peritissimum esse effugiet rerum mythologicarum. Itaque in hoc quoque carmine se Graecorum opiniones mythicas minime ignorare ostendit, cum in v. 18. aut Ditem patrem, aut Aeacum assidentibus fratribus iudicantes fecerit de umbra Corneliae; simili modo II, 20, 30 Aeacum, III, 19, 25 Minoem nominaverat. Patrem enim hoc loco eundem esse quem Aeschyli *Δία ἄλλον* aut *Ἅιδην*, Comici *θεὸν τὸν πάντων δεσπότην* i. e. Ditem patrem statim apparet. Minoia sella autem et Minois est et Rhadamanthi,[1]) qui una cum Aeaco ferunt sententias. Itaque

[1]) Vide Rothsteinii comm.: "M. s. vertritt als kollekt. Sing. die Richterstühle der beiden Brüder". Affert pro testibus Remum pro Remo et

Propertius Graecorum diversas opiniones secutus, quemnam arbitrum esse velit, non satis clare definit. Romanorum vero morem est imitatus his verbis "aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna, in mea sortita vindicet ossa pila": Aeacus igitur ut Vergili Minos praeest iudicio, et sortitione facta sperat Cornelia se omni culpa liberatum iri.[1]) Furias deinde ministras iam ex Aeneide novimus, ubi Tisiphone flagella quatiebat, ut poenas sceleratorum exsequeretur; similiter Culicis v. 377 loris rei cogebantur fateri.[2]) Quo munere Furias hoc quoque loco fungi licebit statuere, etsi castigantes non inducuntur; neque enim habent Furiae usque ad illud momentum, quod vel puniant vel convincant mulierem innocentissimam. Cornelia pulcherrimis verbis sese defendente omnes qui adsunt ("forum intentum")[3]), quasi obstupefacti audiunt. Quod denique Cornelia pro se ipsa loquitur, hoc etiam a Romanorum cogitationibus, ut erant adsueti foro ac tribunalibus, non erat alienum. Idem statuit Cicero Tusc. disp. I, 10: '. . . apud quos (Minoem et Rhadam.) nec te L. Crassus defendet nec M. Antonius, nec, quoniam apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda'.

III

Quae de mortuorum iudicio re vera sentiret Seneca, supra p. 75 comperimus, sed quamvis omnia illa, ut Stoicum decebat philosophum, pro fictis haberet, haud secus atque Horatius

---

Romulo usitatum (II, 1, 23) et Fabium Lupercum pro Fabianis et Quintilianis (IV, 1, 26) et Iuven. XI, 105: 'Geminos sub rupe Quirinos'.

[1]) Vide Ascon. in Mil. p. 34, 21 ed. Kießling-Schoell: "(lex) iubebat, ut priusquam causa ageretur, . . quarta die coram accusatore et reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur, dein rursus postera die sortitio iudicum fieret". — „Die pilae, die der sortitio dienen, können auch als Gegenstand der sortitio aufgefaßt werden, wenn man als das entscheidende Moment der Losung das Herausnehmen der einzelnen pilae aus der Urne betrachtet (das dadurch bestellte Gericht fällt einen günstigen Spruch)." Rothstein.

[2]) Lucianus postea similes sibi finxit Men. 11: παρεστηκότας.

[3]) Similiter Hor. ep. I, 16, 57: 'Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal'.

tamen inferorum tribunali quasi ornamento usus est ad decorandas tragoedias.[1]) Quas, cum e Graecorum auctoribus haustae essent, etiam iudicii opiniones omnes cum a tragicis, quos tamen paucas sententias huius generis praebere vidimus, tum ab aliis Graecorum scriptoribus recepisse primo quidem obtutu coniceres. Testimonia autem, quae exstant, e Romanorum institutis magis sunt tracta, quamquam Graecorum vestigia non prorsus deesse videbimus. Iam singula proponam.

Herc. fur. 727 sqq.

Amph.: Verane est fama inferis
tam sera reddi iura et oblitos sui
sceleris nocentes debitas poenas dare?
730 quis iste veri rector atque aequi arbiter?
Thes.: Non unus alta sede quaesitor sedens
iudicia trepidis sera sortitur reis.
aditur illo Cnosius Minos foro
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.
735 Quod quisque fecit, patitur; auctorem scelus[2])
repetit suoque premitur exemplo nocens:
vidi cruentos carcere includi duces . . .
739 . . . . quisquis est placide potens
dominusque vitae servat innocuas manus . . .
742 . . . . longa permensus diu
felicis aevi spatia vel caelum petit
vel laeta felix nemoris Elysii loca
iudex futurus.

Agam. 23 sq.

Thyest.: Reputemus omnes, quos ob infandas manus
quaesitor urna Cnosius versat reos.

Thyest. 13 sqq.

Tantal.: . . . o quisquis nova
supplicia functis durus umbrarum arbiter

[1]) In chori autem carminibus Seneca veram de morte eisque quae post eam sint retinet sententiam, ut in Troad. 371 sqq. et Phoen. 144, 145.

[2]) Prorsus similis est Octaviae v. 629 sq.:
veniet dies tempusque quo reddet suis
animam nocentem sceleribus.

disponis, addi si quid ad poenas potest
quod ipse custos carceris diri horreat . . .

v. 22,23: . . . nunquam stante Pelopea domo
Minos vacabit.

Herc. Oet. 932 sqq.

Nutrix: Defende saltem dexteram, infelix, tuam
fraudisque facinus esse, non nuptae, sciat.

Dei.: Defendar illic: inferi absolvent ream,
a me ipsa damnor; purget has Pluton manus . . .

1005 . . . Quid me flagranti dira persequeris face,
Megaera? Poenas poscis Alcidae? Dabo
iamne inferorum, dira, sedere arbitri?
sed ecce diras carceris video foras . . .

1012 . . . hic ecce pallens Tisiphone stetit,
causam reposcit, parce verberibus precor,
Megaera parce, sustine Stygias faces:
scelus est amoris . . . .

In his quaesitor Gnosius, qui urnam movet, satis notus est e Vergilio et Propertio, item Tisiphonen causam reposcentem et Megaeram reum, ut edicat verum, verberantem ad Furias supra commemoratas addamus. Iudices autem Minos Rhadamanthus Aeacus (Thetidis socer) nominantur, qui sceleratissimum quemque quod apud superos fecit, cogunt pati apud inferos. Sed eis, qui se integros servaverunt neque abusi sunt vita flagitiose vel ad caelum vel ad laeta Elysii loca facilis patet via, 'iudicibus futuris', ut ait Seneca, quia ipsi digni sunt, qui vel tali honore augeantur. Statim reminiscamur Platonis, qui primus eiusmodi opiniones protulerat (Apol. p. 41 A) et Luciani qui posteriore aetate de Rhadamanthi iustis assessoribus disputavit (Ver. h. c. 10). Fortasse Seneca de Plutone ream absolvente cogitavit cum diceret (Herc. Oet. 935): 'purget has Pluton manus', sed res est dubia, cum alio loco nusquam Plutoni tale munus attribuerit poeta et hoc in versu significare possint verba: 'apud inferos pura lavatione a necis contaminatione purgabor'.

Restat, ut ultimum Senecae testimonium adhibeamus e Ludo de morte Claudii petitum c. XIV: 'Imperator enim,

cum ad inferos venisset, a Pedone Pompeio ad Aeacum est ductus: „In ius eamus, ego tibi hic sellas ostendam“. Ducit illum ad tribunal Aeaci: is lege Cornelia, quae de sicariis lata est, quaerebat. postulat, nomen eius recipiat, edit subscriptionem: occisos senatores XXX, equites R. CC, ceteros CCXXI. Advocatum non invenit. tandem procedit P. Petronius, vetus convictor eius . . et postulat advocationem. non datur; accusat Pedo Pompeius magnis clamoribus, incipit patronus velle respondere. Aeacus . . vetat et illum altera tamen parte audita condemnat et ait: *Αἴ κε πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο* . . . . De genere poenae diu disputatum est . . Tum Aeacus iubet . . .' et q. s. Iam totum tribunal e Romano foro ad inferos transtulit Seneca. Nam omnia, quae modo legimus, Romanorum iudicii sunt propria. Ita postulatio, nominis delatio et acceptio (receptio), deinde subscriptio („Klageschrift“) et advocationis postulatio voces semper usitatae erant ad designandas quaestionum perpetuarum partes singulas.[1]) Ille versus autem *Αἴ κε πάθοι* iam antiquitus notus etiam in Senecae Herc. fur. 735 nobis occurrerat: “Quod quisque fecit, patitur“. Adscribitur autem haec sententia a veteribus Rhadamantho.[2])

Sed quamquam in hoc ludo Aeacus tribunali praefectus est, tamen Minoem quoque non prorsus silentio praeteriit Seneca, qui in nenia Claudio dicta c. XII, v. 19 sqq. haec habet:

deflete virum quo non alius
potuit citius discere causas,
una tantum parte audita
saepe neutra. quis nunc iudex
toto lites audiet anno?
tibi iam cedet sede relicta

[1]) Testimonia praebet Zumptius, Der Kriminalprozeß i. d. röm. Rep. p. 133, 142, 145. Vide etiam Buechelerum, Divi Cl. Apoc. (in Symbol. phil. Bonn. in hon. Ritschelii I) p. 69.

[2]) Vide R. Hirzel, Der Eid p. 90. De Claudiani loco simili infra agam p. 91. — Adeundus etiam Plato in Legg. IX p. 872 E: *ὁ γὰρ δὴ μῦθος ἢ λόγος ἢ ὅτι χρὴ προσαγορεύειν αὐτὸν ἐκ παλαιῶν ἱερέων εἴρηται σαφῶς, ὡς ἡ τῶν συγγενῶν αἱμάτων τιμωρὸς δίκη ἐπίσκοπος νόμῳ χρῆται τῷ νῦν δὴ λεχθέντι καὶ ἔταξεν ἄρα δράσαντί τι τὸ τοιοῦτον παθεῖν ταὐτὰ ἀναγκαίως ἅπερ ἔδρασεν.*

qui dat populo iura silenti
Cretaea tenens oppida centum.

Nunc etiam melius intellegemus illa verba cap. XIV: "Aeacus . . vetat . . et illum altera tantum parte audita condemnat et ait: *Αἴ κε πάθοι.*"

Inseram hoc loco Valerium Flaccum, licet minus expresse quam ceteri de iudicio homines post mortem exspectante disseruerit. Argonauticorum enim libro tertio inde a v. 378 Mopsus animarum post vitam condiciones exorditur exponere, imitatus Vergilii Aen. VI, 724 sqq., ubi Anchises apud inferos similia edocet filium. In his Valerius praeter Vergilium Stoicorum de animis praecepta respexit, denique nonnulla ipse addidit, imprimis v. 383 sqq.:[1])

. . nec in ventos nec in ultima solvimur ossa;
ira manet, duratque dolor. cum deinde tremendi
ad solium venere Iovis questuque nefandam
edocuere necem, patet ollis ianua leti
atque iterum remeare licet; comes una sororum | additur . .

Res est de pugna commissa inter Minyas et Argonautas utrisque invitis. Quorum qui interfecti sunt, ad Iovis Stygii, ut apparet e versu 398, perveniunt tribunal et illi narrant, quo fato necati sint. Iuppiter deinde, ut redeant eis permittit. Quod autem animas necem edocere i. e. accusationem quandam proferre audimus et a Iove remitti in terram, ut Furia una comitante daemonum modo sontes, i. e. interfectores implicent poenis, concludere licebit a Iove iudicis munere ornato eas examinari ita, ut saepius iam vidimus. Sed plura quaerentes reperiendo destituimur.[2])

Aeque atque apud Valerium apud Silium Italicum (Pun. XIII, 601 sqq.) Pluto ipse constitutus est arbiter:

---

[1]) Sic Langen in ed. Argon. ab ipso cur. et comm. instr. p. 241 (Berl. Stud. zur klass. Phil. u. Arch. I, 1897).

[2]) Vide etiam Tonderum, Die Unterwelt nach Val. Flaccus (Progr. Böhmisch-Leipa 1880) p. 5.

Has inter formas coniux Iunonis Avernae
suggestu residens, cognoscit crimina regum.[1])
Stant vincti, seroque piget sub iudice culpae.
Circum errant Furiae Poenarumque omnis imago.

Paulo ante Rhadamanthus commemoratur (v. 543) non iudex, sed puniendi munere ornatus.[2])

Reges vinctos observare operae pretium est, quia Lucianus, ut vidimus, item animas catena religatas descripsit (Men. 11). De Furiis nihil novi addendum est.

Ad alterum illius aetatis poetam epicum transeamus Statium, qui Thebaidos IV, 525 sqq. Manto vatem facit disserentem:

Ipsum pallentem solio circumque ministras
funestorum operum Eumenides Stygiaeque severos
Iunonis thalamos et torva cubilia cerno.
In speculis Mors atra sedet dominisque silentes
adnumerat populos; maior superimminet ordo.
Arbiter hos dura versat Gortynius urna
vera minis poscens adigitque expromere vitas
usque retro et tandem poenarum lucra fateri.

Ibidem VIII. 21 sqq. poeta inferorum pandit mysteria:

Forte sedens media regni infelicis in arce
dux Erebi populos poscebat crimina vitae
nil hominum miserans iratusque omnibus umbris.
Stant Furiae circum variaeque ex ordine Mortes
saevaque multisonas exertat Poena catenas.
Fata serunt[3]) animas et eodem pollice damnant.
Vincit opus. Iuxta Minos cum fratre verendo
iura bonus meliora monet regemque cruentum
temperat; adsistunt lacrimis atque igne tumentes
Cocytos, Phlegethonque et Styx periuria divum
arguit . .

[1]) Apud Hesiodum quoque op. 261 reges puniendi inveniuntur.

[2]) Neque scio an iam in v. 542sq. de iudicio cogitetur populi pecasse fatentis, cum de regibus v. 602 feratur sententia.

[3]) *serunt* G Bch. R schol. Paris. ad v. 92; *ferunt* PBG[2] SM (adnotat Kohlmannus).

Deinde VIII, 102sq.:

. . . scit iudicis urna
Dictaei verumque potest deprendere Minos.

Tum XI, 570sq.:

Huc mecum ad Manes! Illic quoque pacta reposcam,
si modo Agenorei stat Gnosia iudicis urna . .

Idem poeta in consolatione ad Claudium Etruscum missa (Silv. III, 3, 13 sqq.):

. . procul hinc, procul ite nocentes
si cui corde nefas tacitum fessique senectus
longa patris, si quis pulsatae conscius unquam
matris et inferna rigidum timet Aeacon urna;
insontes castosque voco . . .

Statius igitur non semper eandem sequitur Graecorum rationem, cum modo Erebi regem ipsum faciat iudicantem, modo Aeacum, modo Minoem, modo Gnosium i. e. Rhadamanthum. Ad Romanorum autem morem spectat urna saepius commemorata, et Furiae regis solium circumstantes hic quoque ut apud reliquos Romanorum poetas inveniuntur. Et memorabile, quod in Theb. VIII, 27 Minos una cum fratre verendo ex collegarum assidentium sententia Plutonem retinere conantur, ne gravius de mortuis iudicet. Fata autem quod animas ad tribunal raptas, pollice damnant, ad gestum pertinet, quo Romani se velle gladiatorem interfici indicabant.[1]) Serendi verbum denique Theb. VIII, 26 positum, nisi fallor, iterum nos de animis monet vinculis quibusdam alligatis, quae longa serie ductae ad solium perveniunt Fatis ducentibus.

IV

Iam sequantur auctores, qui posterioribus demum fuerunt temporibus. Quorum primum afferam Claudianum, qui carm. V (in Rufinum II, 456 sqq.) haec habet:

. . . Pater Aeacus horret
intrantemque etiam latratu Cerberus urget.
Tunc animae, quas ille fero sub iure peremit,

[1]) Vide Friedländerum, Sitten-Gesch. II[5], p. 346.

circumstant nigrique trahunt ad iudicis urnam
460 infesto fremitu . . . .
476 . . . Quaesitor in alto
conspicuus solio pertemptat crimina Minos
et iustis dirimit sontes. Quos nolle fateri
viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris,
480 nam iuxta Rhadamanthus agit. Cum gesta superni
curriculi totosque diu perspexerit actus
exaequat damnum meritis . . . .[1])

Et in Raptu Proserpinae II (carm. XXXV) 302 sqq. deam ita alloquitur:

. . tu damnatura nocentes
tu requiem latura piis, te iudice sontes
improba cogentur vitae commissa fateri.

Ibidem v. 330 sqq. cum Orcum intrant Pluto et Proserpina:

Erebi se sponte relaxat
squalor et aeternam patitur rarescere noctem,
urna nec incertas versat Minoia sortes . .

Neque quidquam facit ad hos versus explicandos, utrum Claudianus Christianorum fidei addictus fuerit necne, nam in componendis illis carminibus tantum antiquorum secutus est opiniones de inferorum tribunali traditas. Animae eorum, qui a Rufino sunt interfecti, sontem ad iudicis rigidi rapiunt urnam, i. e. ad Minoem, qui hic quoque quaesitoris vice fungitur. Qui fateri nolunt non a Furiis sed a Rhadamantho iuxta agente castigantur, ut verum edicant. In hac iudicii parte Claudianus Vergilium imitatus omnia, quae protulit, traxit e Romanorum more. Verba autem exaequat damnum merito cur ad Rhadamanthum spectent, statim intellegemus, cum eorum, quae supra p. 48 adnot. 2 (et p. 87) exposita sunt, meminerimus. Nec putaverim Claudianum, si in Raptu Proserpinae iudicium de mortuis instituendum committitur a Plutone, doctrinas esse secutum nobis adhuc ignotas, sed cum rex umbrarum maximo honore vellet ornare uxorem modo in matrimonium ductam, consentaneum erat eam ut regni sui ita et iudicii participem facere.

[1]) De eis quae sequuntur versibus adeas supra paginam 67.

Livius Dracontius iam nominandus est, apud quem carm. prof. IX, 120 sqq. Achilles deliberat, quomodo suum dolorem leniat, i. e. quibus contumeliis insequatur Hectoris corpus. Atque occurrunt consideranti sententiae inter se contrariae hae:

Non tibi per somnos aderit censoris imago
Aeacus ad medias veniens in castra tenebras
voce manuque furens? En te culpabit, amare,
asper et increpitans et iusta voce notabit:
'Tene deum suboles, caelique nepos pelagique . .
. . . ista decent? . . .
. . . Me vita pia promovit ad urnam
humani ut generis laudes et crimina quaeram;
nec tamen hinc securus eris, qui noster ad urnam
advenies quandoque nepos: ignoscere manes
ignorant mecumque Minos vel Gnosius illic
iudicium Rhadamanthus habet commune barathri.'

Memorabile in his tantum Aeacum appellari censorem, quippe qui morum quoque institutus sit iudex.

Restat, ut ultimum quoddam proferam testimonium, quod quamvis Graece scriptum tamen Romanarum opinionum praebere videtur vestigia. Est epigramma Marci Argentarii[1]) Anth. Pal. VII, 384 v. 2 sqq.:

. . . . γρηὺς Ἀριστομάχη
ἡνίκα τὴν ἱερὴν ὑπέδυ χθόνα πᾶν τ' ἐμαράνθη
πνεῦμα πάρος κυλίκων πλεῖστον ἐπαυρομένη,
ὃ εἶπε τάδ'· Ὦ Μινοῖ, πῆλαι[2]), φέρε κάλπιν ἐλαφρήν,
οἴσω κυάνεον τοὔξ Ἀχέροντος ὕδωρ·
καὐτὴ παρθένιον γὰρ ἀπώλεσα'. τοῦτο δ' ἔλεξε
ψευδές, ἵν' αὐγάζῃ κἠν φθιμένοισι πίθον.

Hoc epigramma non tam sepulcrale quam ludicrum et σκωπτικόν Duebnerus explicat sic: „πάλλειν urnam iudicialem est quaesitoris (Verg. VI, 432 et al.) . . Minoem rogat, ut statim de se ferat sententiam. Ἐλαφρὴν videri potest

[1]) Argentarium Augusti temporibus fuisse Reitzensteinius affirmavit (Pauly-Wissowa, Realencyclop. s. v. Argentarius p. 711 sq.).

[2]) πῆλαι Jacobs, πάλαι P.

addidisse, quod simul in mente habet aquales κάλπεις Danaidum, quibus propemodum invidet, κάλπεις iudiciali urna graviores". Secutus sum Duebnerum, qui de aliis quoque hunc locum interpretandi rationibus disseruit.

V

Sed haec hactenus. Romani igitur Graecorum receperunt nihil nisi nomina et ex ipsorum rei publicae institutis excoluerunt propriam tribunalis imaginem. Etiam Furiarum ministeria, quae fateri nolentes tractant verberibus, apud eos primum ita figuratas esse videntur, et Lucianus, qui postea tantam rationem habuit Poenarum infernis iudicibus assidentium, fortasse a Romanis edoctus est. Neque scio an Lucianus, id quod sane fieri potuit, ex auctoribus ante tractatis vel animas catenis devinctas deprompserit. Quodsi deinde apud Vergilium et Propertium urnam ad iudices sortiendos adhibitam esse vidimus, qui mitem ferrent sententiam de reis, apud posteriores, si de urna agebant illa prior opinio evanuisse videtur; nam ex vaso animarum sortes sive secundas sive adversas excidere statuerunt. Neque enim de iudicum concilio, de quo apud priores poetas res erat, postea potest cogitari, sed ubi Minos aut Aeacus movent urnam, sortem qua quisque dignus est, mortuis attribuunt. Quare huc alterum epigramma retulerim, quod etsi posterioris aevi est, tamen huius rei memoriam retinuit. Est Agathiae, qui vixit s. VI., Anthol. Pal. VII 596, v. 5 sq.:

Νῦν δ' ἐπὶ Μινῴην καθαρὴν κρηπῖδα μολόντες
ἀμφότεροι λευκὴν ψῆφον ἐδεξάμεθα.

Observaveris denique Romanos certa ratione attribuendi iudicialia munera non esse usos, cum non solum Graecorum more tres viros iustissimos qui habebantur in inferorum regno instituerent, sed etiam Plutonem ipsum saepius iudicantem facerent de animis defunctorum. Vergilius autem Romanis aeque atque Plato Graecis colores fere omnes praebuit ad iudicii inferni depingendam imaginem.

VI

Iam operae pretium erit Aeaci reminisci, quem apud Graecos nunquam tanta auctoritate fuisse quanta collegas supra audivimus. Finito enim locorum conspectu occasio nobis offertur considerandi quomodo factum sit, ut apud Graecos Aeaco arbitri honores detraherentur, apud Romanos manerent attributi.

Si apud Isocratem in Euagora p. 192 (or. IX § 15) legimus Aeacum *παρὰ Πλούτωνι καὶ Κόρῃ μεγίστας τιμὰς ἔχοντα παρεδρεύειν ἐκείνοις*, ego quidem cum Leopoldo Schmidt (l. s. p. 101) et Ervino Rohde (I², 310 adnot. 1) haec verba ad iudicium minime spectare contenderim. Sed lex est apud inferos, ut optimus quisque artifex sedem iuxta Plutonem nanciscatur (Arist. Ran. 765), et cum Rhadamanthus apud Pindarum *πάρεδρος* appellaretur, quamquam illi non iudex erat, non iam dubitemus, quin Aeacus eundem honorem nactus sit. Sed iam antiquissimis temporibus incertum fuisse videtur, nonne alterum potius attribuendum esset munus Aeginetarum regi, quem aeque atque Minoem et Rhadamanthum propter *εὐσέβειαν* (Isocr. l. s. § 14. Apollod. Bibl. III § 15 ed. Wagn. al.) singulari vel apud inferos frui honore necesse erat. Qua in re minoris quidem momenti sunt Euripidis (frg. 591 N²) et Aristophanis (Ran. 465) loci, ubi Aeacus ianitor Orci commemoratur; nomen enim Aeaci ibi grammaticus doctus posteriorum demum temporum posuit, cuius aevo id Aeaci ianitoris munus notissimum erat.[1]) Sed Apollodori l. s. verba sunt: *τιμᾶται δὲ καὶ παρὰ Πλούτωνι τελευτήσας Αἰακός, καὶ τὰς κλεῖς τοῦ Ἅιδου φυλάττει.*[2]) Eadem opinio saepe repetitur, ut illo epigrammate CIL VI, 2, 14672 (Kaib. 646): *Οὐκ ἔστ' ἐν Ἅιδου πλοῖον. . . . οὐκ Αἰακὸς κλειδοῦχος*, et Pap. mag. Par. (Wiener Denkschr. XXXVI p. 81) 1464 sq.: *Αἰακὲ πυλωρὲ κλείθρων τῶν ἀιδίων.* Qui enim Tartari servat claves, mox fit *πυλωρός*, quem Aeacum esse apud Lucianum audimus (dial. mort. 13, 3): *. . . οὐ γὰρ θέμις ἀνελθεῖν τινα τῶν ἅπαξ διαπλευσάντων τὴν λίμνην . . οὐ γὰρ ἀμελὴς ὁ Αἰακὸς οὐδ' ὁ Κέρβερος εὐκαταφρόνητος.* Ibidem dicit Menippus 20, 1: *Πρὸς τοῦ Πλούτωνος, ὦ Αἰακέ, περιήγησαί μοι τὰ ἐν ᾅδου πάντα . . . ὅτι πυλωρεῖς.* Alio loco (22, 3) Charon timet, ne verberetur

[1]) Vide Rohdium l. s. et Hillerum in Hermae vol. VIII, p. 455.

[2]) De clavium significatione vide Rohdium l. s.

ab Aeaco, si Menippum redire patiatur, nam Aeacus portas custodit, ne quis effugiat. In eo denique qui Luciano adscribitur libro de luctu dicitur c. 4: *πρὸς . . πύλῃ . . Αἰ. ἕστηκε τὴν φρουρὰν ἐπιτετραμμένος* . . quibuscum consentit Philops. 25.[1]) Sed alia quoque Aeacus ministrat in Luciani dialogis; nam Men. 17 infernus est agrimensor (*ἐπειδὰν γὰρ . . ὁ Αἰακὸς ἀπομετρήσῃ ἑκάστῳ τὸν τόπον*) et Charon. 2 *τελώνης*, Catapl. 4 numerat mortuos. Similiter Philostratus, quamquam Aeacum iudicem haud ignorat, ut diximus supra p. 71, tamen eum etiam *πυλωρὸν* commemorat in Vita Apoll. Tyan. VII, 31: *δοκεῖς μοι . . . καὶ τὸν Αἰακόν, ὅσπερ ἐν ᾅδου λέγεται, φρουρὸν ἡγεῖσθαι τουτωνὶ τῶν πυλῶν εἶναι.*

Romani eas opiniones non sunt secuti, nam Aeacus non minus saepe iudex nominatur quam Minos et Rhadamanthus.[2]) Tamen Claudianus se quoque ianitorem eum novisse ostendit, cum dicit (in Ruf. II, 456 sq.):

Pater Aeacus horret
intrantemque etiam latratu Cerberus urget,

ubi ipsum Aeacum una cum Cerbero portas custodire apparet ex voce intrandi. Quaesitor autem Minos paulo post demum seorsim commemoratur, qui cum Rhadamantho per totum illud temporis spatium retinuit munus inde a Platonis memoria attributum.[3]) Fortasse hoc loco addere licet non recte se habere, quod Servius (ad Aen. VI, 432) adnotat: „Minoem quasi crudelem introducit (Vergilius), quod ei epitheton et Plato et Homerus dat[4]): nam Aeacus et Rhadamanthus fratres mitiores sunt.“ Quod e veterum tantum Graecorum haustum esse philosophia apparet e locorum copia congesta ab Helbigio in Roscheri

[1]) De Orci ianitore vide etiam Helbigium, Führer I² nr. 722.

[2]) Rothsteinius l. s. p. 312 (ad Prop. IV, 11, 19): ‘Äacus, der auch von den anderen röm. Dichtern vielleicht nur wegen der sprachlichen und metrischen Bequemlichkeit des Namens bevorzugt wird’. Sed eum praeferri ex testimoniis non patet.

[3]) Vide etiam Script. rer. myth. ed. Bode II, 76; I, 172. Mythogr. Lat. ed. van Staveren p. 759. CIL VI, 21521 (Buecheler, Carm. epigr. 1109). Ne vero quid omiserim, addam apud Porphyrium (Diog. Laert. p. 116) in oraculo de Plotino dato (v. 15sqq.) sedere eos in beatorum insulis, sed non iudicare. Neque in epigr. 1046 (v. 47) Kaib. Rhadamanthus est iudex.

[4]) Vide Platonis qui fertur Minoem p. 318 D et Hom. Od. XI, 321.

Lex. Myth. II p. 3001: nam ex ipso Vergilio hoc ita esse non patet. Apud posteros vero Rhadamanthus durior est quam Minos: habet enim durissima regna, quin etiam tam severe castigat, ut apud Statium (Theb. VIII, 27/28) Minos lenire conetur fratris poenas; apud Claudianum denique mittit Minos eos, qui nolunt fateri ad verbera rigidi fratris (V, 479).

VII

Restat, ut de duabus imaginibus loquar, quas propter naturam singularem, cum seriem aut Graecorum aut Romanorum tractarem, non enumeravi: Vibiae dico imaginem [1]) et effigiem arcae mortuariae magistri cuiusdam Rhodiensis insculptam.[2]) In priore enim pictura Vibia, Vincentii uxor, a Mercurio et Alcestide ante Ditis Patris et Aeracurae ducitur thronum, ut sortem accipiat quam est merita. At iudices Maassio quidem auctore non sunt Pluto ipse et regina inferna sed Fata tria divina, quae ab altera imaginis parte ad tribunal aggrediuntur et Graecorum Parcarum loco aut *Τυχῶν* hic quidem sunt collocata.[3]) Quod verum esse inde intellegitur, quod in alio picturae loco, ubi beati depicti sunt una cum Vibia conversantes, verba leguntur: Bonorum iudicio iudicati. Bonos autem manes aut Fata esse testimoniorum copia allata comprobavit Maassius l. s. Novum igitur genus nobis occurrit iudicum, quamquam a paucis videtur receptum; neque scio, an iam apud Statium eandem opinionem statuere cogamur. Ibi enim legimus (Theb. VIII, 26 sqq.):

Fata[4]) serunt animas et eodem pollice damnant,

quibus verbis apparet eas ibi quoque valuisse ad ferendam sententiam.

---

[1]) Vide Ernestum Maass, l. s. p. 209 sqq.

[2]) hanc imaginem nuperrime repertam in Hermae vol. 37 (1902) p. 137 sqq. ediderunt Hiller von Gaertringen et Carolus Robert. Ea tantum adhibui, quae in nostrum quadrant usum.

[3]) pro testimonio adhibetur a Maassio Kaibelianae collectionis epigramma 62: *εἰ δέ τις εὐσεβίας παρὰ Περσεφόνηι χάρις ἐστίν,* | *καὶ σοὶ τῆσδε μέρος δῶκε Τύχη φθιμένηι.*

[4]) De Fatis vide Roscheri Lex. Myth. p. 1452 sq.

In altera vero imagine arcae Rhodiensis inferorum regni pars est depicta, ut quamnam sortem nactus sit magister ille ornatissimus cognoscamus. Ac plurimi nostra interest quaerere, quid significet mulier quaedam pinnis papilionis instructa, quae sceptrum gestans ante voraginem collocata est, in quam hominem modo sese demergentem videmus. Quam imaginem ita sunt interpretati editores, ut defunctorum illic fieri iudicium contenderent; nam voragine secundum Platonis in Republica descriptionem facta admoneri eos, qui spectarent, et feminam illam Nemesin esse, quae Platonis iudicum teneret locum et de animis iam ferret sententiam. Neque singula repetam, quibus illi re vera Nemesin ibi scalptam exstare optime demonstraverunt; maioris est momenti, quod iustitiae dea ipsa quoque iudicandi munere ornata est. Atque arca ipsa cum ineunte fere saeculo secundo sit confecta, illis temporibus non alienum fuisse a Graecorum opinionibus suspicabimur, Nemesi tantam auctoritatem attribuere, ut de mortuis iudicare diceretur. Quod eo factum esse putaverim, quod apud Platonem (Phaedr. 248C) animarum explorat naturam et eis, si in prima vita aliquid veritatis conspexerunt, permittit, ut *μέχρι τῆς ἑτέρας περιόδου* sine dolore versentur.[1]) Quod munus iudiciale quoddam esse nemo negabit. Postea vero in libro Timaei Locrensis qui fertur *περὶ ψυχᾶς κόσμου* et scriptus videtur ante saec. p. Chr. n. II[2]), p. 104E et 105 legimus: *ἅπαντα δὲ ταῦτα ἐν δευτέρᾳ περιόδῳ ἃ Νέμεσις συνδιέκρινε σὺν δαίμοσι παλαμναίοις χθονίοις τε, τοῖς ἐπόπταις τῶν ἀνθρώπων.* Sed aliis etiam locis, qui omnes posterioris sunt aevi, Nemesis saepius ita commemoratur, ut multum eam tunc valuisse ad mortuos puniendos deam durissimam appareat: vide hymn. in Nem. (Mus. script. Graec. ed. Ian p. 469); hymnum orph. 61, 8; Kaib. epigr. 1046 v. 93.[3])

---

[1]) Debeo hunc locum et sequentem Posnanskio, Nemesis u. Adrasteia (Comment. Philol. Vratisl. V, 2) p. 28 et 71.

[2]) quod statuit J. R. Anton, De origine libelli *περὶ ψυχᾶς κόσμου καὶ φύσιος*, Numb. 1893.

[3]) Similes Iustitiae deae partes sunt; vide Plutarchi De ser. num. vind. p. 565 A et quae de Dices munere supra p. 56 disserui.

VIII

Haec habui, quae de Graecorum et Romanorum ultimo iudicio disputarem.[1]) Nunc nonnulla addere mihi liceat, quae ad Christianorum de ultimo iudicio pertineant opiniones. Quamquam enim a patribus ecclesiasticis qui vocantur saepissime agitur de illo iudicio, tamen nullo fere loco eos in depingendis formulis antiquorum opiniones esse secutos poteris demonstrare.[2]) Immo contra opiniones philosophorum et poetarum nobis satis notas pugnant, quippe qui istud iudicium apud inferos proposuerint. Talia exstant testimonia ad Graecorum et Romanorum iudicium infernum spectantia satis multa, quorum nomino Iust. Mart. apol. c. 8 qui Platonem citat; Tatian. c. Gr. p. 6 (ed. Ed. Schwartz); Athenag. legat. pro christ. c. 12; Tertullian. ad nat. I, 19, apol. XXIII; Lactant. div. inst. III, 20 et VII, 22. Ac mirum, quod in his Aeacus a Lactantio solo (VII, 22) nominatur, cum Minos et Rhadamanthus omnibus quos citavi locis inveniantur. Neque enim eum omissum esse habeo persuasum, quod paulatim alio munere ornaretur, nam philosophi, quorum imprimis Platonem patres ecclesiastici nominant, et poetae fere omnes

---

[1]) De Etruscorum iudicio pauca mihi afferre liceat, nam illa quoque gens has opiniones habuit excultas (vide Dieterichium l. s. p. 210 adnot. 2). Apud eos ducunt angeli animam ante Manti tribunal (Spiesius, Entwickelungsgeschichte der Vorstellungen nach dem Tode, p. 334). Etrusca tabula quaedam conservatur in Museo Britannico, in qua iudicium erat depictum. Exstat haec pictura edita in Mon. ined. inst. II, tab. 53,54; sequor descriptionem, quae invenitur in Dennisii libro qui inscribitur The cities and cimeteries of Etruria, in Germanorum linguam converso a Meißnero, Lips. 1852, I, p. 289. In sella curuli rex sedebat purpurea toga ornatus, in capite coronam gestans et sceptrum tenens manibus, iuxta eum regina stat; Mantus et Mania vocantur. Post solium viri tres maiores natu erant collocati, qui mortuorum iudices fuisse videntur. Ab utraque parte deinde hominum agmen appropinquabat, quorum alios ad tribunal ire, alios autem in beatorum campos mitti suspicati sunt viri docti. Sed certi quidquam statuere non licebit in tanta testimoniorum exiguitate.

[2]) Iudicium e Christianorum sententiis cum alibi planius descriptum invenies tum in Orac. Sibyll. ed. Geffcken, II, 214 sqq. et VIII, 217 sqq.

praeter Vergilium Aeacum retinuerunt iudicantem. Equidem nullam causam inveni.

Attamen apud unum christianum auctorem antiquorum vestigia, ut ita dicam, satis clare conspiciuntur. Origenes est, qui homil. Ierem. XVI (ad Ierem. 17, 1; ed. Koetschau) dicit: *οὕτως δὲ ἔχει τὰ ῥήματα Ἁμαρτία Ἰούδα γέγραπται ἐν γραφείῳ σιδηρῷ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ, ἐγκεκολαμμένη ἐπί τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν· ἡμάρτομεν καὶ ἁμαρτία ἡμῶν οὐκ ἔξω ἡμῶν γέγραπται, ἀλλ' ἐν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν καὶ γράφεται ἐν σιδηρῷ . . . . . ὅτι δὲ τὰ ἁμαρτήματα . . . ἐγγράφεται εἰς ἡμᾶς διὰ τοῦ ἁμαρτάνειν, παραστήσει αὐτὸ τὸ πρᾶγμα . . ποιήσας αὐτὴν* (scil. *τὴν ἁμαρτίαν*) *ἔχω τύπον αὐτῆς, καὶ οἱονεὶ γέγραπται ὁ τύπος* [*αὐ*]*τῆς τῆς ἁμαρτίας μου τῆς ἡμαρτημένης ἐν τῇ ψυχῇ μου . . . ἵνα ἔλθω ἐπὶ τὸ δικαστήριον, ἐγυμνώθη μου τὸ στῆθος καὶ ἡ καρδία ἔχουσα τὰ γράμματα ἐγγεγραμμένα τῆς ἁμαρτίας, καὶ πάντες ἀναγινώσκουσιν ἐν τῷ στήθει μου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ μου τῶν ἁμαρτημάτων . .* Dicit deinde, postquam omnia vitia plane apparere asseruit: *τίνι φανερώσει* (scil. *ὁ Θεός*)*; οὐχ αὐτῷ, αὐτὸς γὰρ οἶδεν τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ἀλλὰ . . . πᾶσι τοῖς μέλλουσι βλέπειν διὰ τὴν αὐτῶν καθαρότητα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ ἡμαρτηκότος.*

Iam nobis in mentem venit Platonis Gorgias, quo pro interpretationis fundamento usus esse videtur Origenes. Homines enim, postquam ad iudicium pervenerunt, nudati corpore facinorum convincuntur, cum notas in corde habeant impressas, ex quibus etiam Platonis iudices, quae scelera in se admisissent viventes, cognoscebant. Sed dum Deum omnia scire affirmat Origenes in rationem Christianam convertit opiniones Platonis; quamvis enim Deus ipse animas non contempletur, iustis tamen adstantibus signa ostendit.

Transeamus iam ad Pauli apocalypsin quae vocatur. Quae ibi leguntur inde a p. 44 (ed Tischend.) ipsa quoque veterum sententias aliquatenus sapiunt: *αὐτῆς δὲ* (scil. *τῆς ψυχῆς*) *ἐξελθούσης ἐκ τοῦ σκηνώματος προέτρεχεν αὐτῇ ὁ συνήθης ἄγγελος αὐτῆς, λέγων πρὸς αὐτὴν· . . . Ἐγώ εἰμι ὁ καθ' ἡμέραν ἀπογραφόμενος τὰς ἁμαρτίας σου . . . . καὶ . . ἄλλη ψυχὴ ἤγετο ὑπὸ ἀγγέλου . . . καὶ ἦλθεν φωνὴ πρὸς αὐτὴν λέγουσα . . .*

'ὁμολόγησον τὰς ἁμαρτίας σου' . . . καὶ εἶπεν ἡ ψυχὴ ἐκείνη· 'οὐχ ἥμαρτον' . . . καὶ εἶπεν ὁ κύριος· 'οὐκ οἶδας, ὅτι, ἡνίκα ἄν τις τελευτήσῃ, ἔμπροσθεν τρέχουσιν αἱ πράξεις αὐτοῦ'; Denique angelus librum afferre iubetur, ut quae antea peccaverit anima cognoscatur et fiat iudicium, sed nondum ultimum.

Sane multa in his sunt, quibus de rebus iam satis tractatis admonemur, sed nusquam ita, ut quonam ex fonte ea profluere debuerint pro certo possimus affirmare.

Neque mirum est, quod non plura testimonia exstant, buibus antiquorum opiniones quamvis mutatis temporibus diutius viguisse appareat. Nam Christianorum doctrinis paulatim plane oppressae sunt, quo fit, ut in libris posterioris aevi, in quibus speres fore ut vestigia ex antiquitate servata inveniantur, frustra circumspicias.[1]) Dantius poeta solus Minoem denuo iudicantem fecit iam vera diaboli specie indutum christiani, qui cauda in spiram convoluta indicat, quam in regionem detrudendi sint peccatores (Inf. V, 4 sqq.).

[1]) Inspexi Anonymi Byzant. de caelo et inf. epistulam, quam edidit Radermacher in „Studien zur Gesch. der Theol. u. Kirche" vol. III (Bonwetsch-Seeberg); nunc denuo in lucem profertur a Rudolfo Homburg inscripta Apocalypsis Anastasiae in bibliotheca Teubneriana. Vidi praeter eam Visionem Tnugdali, quam ed. A. Wagner, et Visionem Pauli ex ed. Brandes (Texts and Studies II, 3).

EXCVRSVS

Quod supra p. 68 me de hominum peccatis perscriptis in codicillis vel alia via ad Iovem relatis acturum esse pollicitus eram, iam praestiturus sum. Atque quamvis maior testimoniorum numerus a viris doctis esset iam tum collectus,[1]) cum ipse in hanc rem inquirere constituerem, tamen non ingratum fore putavi, si ea, quae adhuc huc illuc dispersa legerentur, his schedulis in certum ordinem atque contextum redacta enarrarem.

Hesiodi op. v. 258 sqq.:

καὶ ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων
αὐτίκα πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι
γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ.

Dice (v. 256) Iovi, quae scelera homines in se admiserint, verbis enuntiat.[2])

Aeschyli Eumen. 271:

(*Ἅιδης*) *δελτογράφῳ . . πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.*

Eurip. Melan. frg. 506 (N [2]):

δοκεῖτε πηδᾶν τ' ἀδικήματ' εἰς θεοὺς
πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
γράφειν τιν' αὐτά;

---

[1]) F. Marx, Ind. lect. Gryph. 1892/93 p. VI sq.
A. Dieterich, Nek. p. 126 adnot. 1.
E. Norden, Fleckeis. ann. vol. suppl. XIX, p. 381.
G. Kaibel, Hermae vol. XXIX, p. 84, 1.
E. Maass, Orpheus p. 258 sqq.

[2]) Vide Demosth. in Aristog. I § 11 et hymn. orph. LXII (*Δίκης*) v. 2 sq.

Callim. hymn. in Cer. 53sqq.

Erysichthon frustra admonetur a Cerere, ne sacram arborem caedat, qui non deterritus etiam deae respondet:

'χάζευ, . . μή τοι πέλεκυν μέγαν ἐν χροΐ παξῶ . .'
εἶπεν ὁ παῖς, Νέμεσις δὲ κακὰν ἐγράψατο φωνάν.

Nic. Damasc. (FHG III p. 378) frg. 43. Lycaon suis narravit: *τὸν Δία ἑκάστοτε φοιτᾶν παρ' αὐτὸν ἀνδρὶ ξένῳ ὁμοιούμενον, εἰς ἔποψιν τῶν δικαίων τε καὶ ἀδίκων.*

Plautus Rud. v. 6 sqq. Diphilum secutus Arcturum dicentem facit:

Noctu sum in caelo clarus atque inter deos,
inter mortalis ambulo interdius.
At alia signa de caelo ad terram accidunt.
Qui est imperator divom atque hominum Iuppiter[1])
is nos per gentis alium alia disparat,
qui facta hominum, mores, pietatem et fidem
noscamus, ut quemque adiuvet opulentia.
Qui falsas litis falsis testimoniis
petunt quique in iure abiurant pecuniam,
eorum referimus nomina exscripta ad Iovem . .
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.

Zenob. IV, 11: *ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας· ὅτι οὐκ ἀπρονόητα κἂν βραδέως ἡ δίκη τοὺς πονηροὺς μέτεισι. Φασὶ γὰρ τὸν Δία εἰς διφθέρας τινὰς ἀπογράφεσθαι τὰ πραττόμενα τοῖς ἀνθρώποις.*

Diogen. V, 95 profert idem proverbium et similiter explicat.

Idem III, 2: *'Αρχαιότερα τῆς διφθέρας λέγεις· ἐπὶ τῶν σαθρά τινα καὶ μωρὰ διηγουμένων. Ἡ γὰρ διφθέρα, ἐν ᾗ δοκεῖ ὁ Ζεὺς ἀπογράφεσθαι τὰ γινόμενα, παμπάλαιος.*

Schol. Venet. B ad Il. A 175: *ὁ Ζεὺς κατεῖδε . . . ἐπὶ τῶν ποτε ἀμειβομένων ὑπὲρ ὧν πράττουσι καλῶν ἢ κακῶν, ὅτι οὐκ ἀπρονόητά φησι τὰ πάντα, ἀλλὰ τὸν Δία εἰς διφθέρας τινὰς ἀπογράφεσθαι καί ποτε ἐπεξιέναι.*

---

[1]) v. 6—9 delent F. Marx et F. Leo.

Eadem fere habet Hesychius s. v. *σκυτάλαι· . . . πίνακες, ἐφ' οἷς ἡ Δίκη γράφει τὰ τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτήματα.*

Lucianus de merc. cond. 12: *τοῦτ' ἐκεῖνο· ἐκ τῶν Διὸς δέλτων μάρτυς.*[1])

Babr. fab. 75 (Crusius), quem locum nondum adhibitum addere iuvat. Medicus artis sanandi minime peritus hominem, qui contra omnium exspectationem ad sanitatem est perductus, interrogat:

καὶ πῶς ἔχουσιν οἱ κάτω; . . .
κἀκεῖνος εἶπεν· ἠρεμοῦσιν τῆς Λήθης
πίνοντες. ἡ Κόρη δὲ χὠ μέγας Πλούτων
πρῴην ἰατροῖς δεινὰ πᾶσιν ἠπείλουν,
ὅτι τοὺς νοσοῦντας οὐκ ἐῶσ' ἀποθνήσκειν.
ἀνέγραφον δὲ πάντας, ἐν δὲ τοῖς πρώτοις
καὶ σὲ γράφειν ἔμελλον . . . . . .

Pluto et Proserpina medicos in tabellas referunt, quod aegrotos mori prohibent; item huius medici nomen in codicillis exscribere volebant, ut post mortem eum punirent, sed, ut legitur in eis quae apud Babrium sequuntur, ab aegroto illo rogati sunt, ne id facerent, cum iste medicus re vera esset medicus, i. e. cum homines quam celerrime ad inferos mitteret.

Eiusdem fab. 127:

ὁ Ζεὺς τὸν Ἑρμῆν ὀστράκοισιν ἐγγράψαι
ἁμαρτίας ⟨τε κἀδικήματ'⟩ ἀνθρώπων
ἐκέλευσε κἀς κιβωτὸν αὐτὰ σωρεύειν
⟨σταθεῖσαν⟩ αὐτοῦ πλησίην, ἐρευνήσας
ὅπως ἑκάστου τὰς δίκας ἀναπράσσῃ.
τῶν ὀστράκων δὲ κεχυμένων ἐπ' ἀλλήλοις
τὸ μὲν βράδιον, τὸ δὲ τάχιον ἐμπίπτει
εἰς τοῦ Διὸς τὰς χεῖρας, εἴ ποτ' εὐθύνοι.

[1]) Verbis *τοῦτ' ἐκεῖνο* notissimum illud proverbium fuisse demonstratur. — Nec tamen habeo, cur hoc referam Luc. Catapl. 5, vide Dieterichium p. 127 adnot.; nec Ottonis Iahnii verba, Arch. Beitr. p. 170.

Praeterea non curo vasculum Graecum Nolae repertum (Élite céramogr. I, tab. 77), ubi Minerva *δελτογράφος* picta est, quoniam eam ipsa hominum male aut bene facta referre in tabellas necesse non est.

Denique Kaibel, qui l. s. affert epigr. 814, mihi non persuasit, Mercurium tali munere quali Dicen Nemesin alios fungi, quia eius *ἔλεγχος* ibi commemoratus qualis fuerit omnino non dispicitur.

Apud Nonnum Dion. I, 481 Typho se deorum et hominum esse dominum iactaverat:

εἶπε καὶ Ἀδρήστεια τόσην ἐγράψατο φωνήν.

Hoc loco poeta Callimachum supra laudatum secutus esse videtur, nam Adrastea eadem est quae Nemesis (Posnansky l. s. p. 33, adnot. 1).

Deinde huc sunt referenda, quae E. Norden l. s. de Cynicorum cognominibus κατάσκοποι τῶν θεῶν sagacissime suspicatus est, cum ea quoque ad mores hominum observandos atque deis enarrandos spectare viderentur.[1])

Hae igitur opiniones vetustissimae sint necesse est, cum iam apud Hesiodum eas commemorari audiamus: id quod etiam Diogenianus l. s. testatus est verbis ἡ γὰρ διφθέρα ... παμπάλαιος. Quis autem deus scriberet aut inquireret in hominum vitam, ab aliis auctoribus aliter traditum est: Dice, Iuppiter, Pluto, Nemesis sive Adrastea, quin ipse Arcturus nobis occurrunt et bene facta et ἀδικήματα notantes mortalium.[2]) Ac mirum, quod in tanta locorum varietate duobus tantum (Aesch. Eumen. 271 et Babr. 75) tabellae adhibentur ad convincendos homines in ultimo quod dicimus iudicio. Praeterea omnes quidem loci pertinent ad poenas aut praemia, quibus singuli digni sunt, distribuenda, sed hoc fieri in ultimo iudicio ex his, quos protuli auctoribus, non licebit statuere. Nunquam enim Iuppiter, qui plurimis commemoratur locis, iudicis inferni munere functus est.

Similem peccatorum libri persuasionem alia quoque gens ex suis doctrinis sibi figuravit: Iudaeos dico et post eos Christianos, quos eam a Iudaeis accepisse verisimile est. Sunt autem loci Veteris Testamenti: 2. Mos. 32, 32; Dan. 12, 1; Ps. 69, 29; Novi Testamenti: Luc. 10, 20; Ep. ad Phil. missa

[1]) Vide Fleckeisen. ann. vol. suppl. XIX p. 377 sqq., ubi Nordenus agit de Epicteti diss. I, 24, 3 sqq. Affert etiam recentiorum Platonicorum ἐπισκόπους δαίμονας, qui commemorantur v. c. apud Plut. de fat. c. 9, et relegat nos ad Crusium, de aetate Babrii p. 218 sq. et 235. Vide praeterea quem p. 97 e Timaeo Locr. citavi locum: δαίμοσιν . . τοῖς ἐπόπταις τῶν ἀνθρώπων.

[2]) Iam Kaibel l. s. etiam bene facta in tabellas referri observaverat, quod ante neglexerat F. Marx.

4, 3; Apoc. Ioh. 3, 5; 13, 8; 17, 8; 21, 27. Accedit Testamentum Abrahae quod vocatur (Texts and Studies II, 2 p. 90)[1] et Pauli apocalypsis (ed. Tischendorf p. 36, 38, 47).[2] Quo in libro non solum Sol et Stellae Deo enuntiant, quid peccaverint homines, sed angeli etiam referunt in tabellas, quibus utitur Deus in iudicando de mortuis (p. 47).[3]

---

[1]) Dieterichius l. s. p. 126 adnot. 1 describit illum librum e Iudaeorum opinionibus alia quoque afferens testimonia (Maleach. III, 16; Pirkeh Aboth III, 20; IV, 29).

[2]) Vide Maassium, p. 358 sqq. — Christianorum etiam sunt quae leguntur in Luciani personati Philopatr. c. 13 (*θεὸς ... ἐν βίβλοις τὰς πράξεις ἀπογραφόμενος*).

[3]) Vide Maassium, p. 258 (adnot. 24), 259 (adnot.). Apud Homerum quoque (Od. VIII, 270 sq.) Sol Vulcano narrat de Veneris et Martis conubio. Nuperrime de Iudaeorum libris egit Guil. Bousset, Die Religion des Judentums, p. 247; vide etiam, quae de peccatorum indice divino scripsit Lueken, Michael p. 85, H. Gunkel, Arch. f. Relig. Wiss. I, 1898, p. 294. — Apud Ebertum, Litteratur des Mittelalters im Abendlande I, p. 638 locum inveni citatum Bedae, qui scripsit „Historiam eccles. gentis Anglorum“ (librum ipsum inspicere non potui) et c. 13 narravit duos angelos, cum miles quidam poenitentiam differret agendam, venisse libellum portantes, in quo pauca bene facta erant enumerata, deinde maxima diabolorum turba, quorum in libris maximis militis peccata innumerabilia erant scripta.